DEFENSIO PRO TRI-MEMBRI THEOLOgia M. Lutheri, contra ædificatores Babylonicæ turris,

Phil. Melanthonem,
Svvenckfeldianum Longinum,
And. Musculum,
Mat. Flac. Illyricum,
Iacobum Andreã Shmidelinum

Authore Friderico Staphylo.

Esaias 19. Paul. 2. Thess. 2.
Dominus immiscuit in medio eorum spiritum uertiginis. Et immisit illis operationem erroris.

Nissæ recusa & à typographicis mendis repurgata.

Anno M. D. L X.

Ex Bibliotheca

Cim. 6.492

Bibl. Jag.

REVEREN
DISSIMO IN CHRI-STO PRINCIPI, AC DO-mino, Domino Balthasari Episcopo Vratislauiensi, libero Baroni Plesnen-si, Sagensi & Sorauiensi etc. et Ca-pitaneo supremo per vtranq; Silesiam, Domino suo clementissimo.

LIBRVM EVM, Reuerēdissime Præ-sul, quem Augustæ effudi potius, quam scripsi respondens aduersarijs meis, accepi & legi, sed ita mendosè excu-

sum reperi, vt sine hallucinatione intelligi nõ possit, nec legi sine tædio. Alicubi videas dictiones integras omissas esse, quæ citra legitimi sensus corruptelam omitti non potuerunt: alicubi additas, quæ minimè requirebãtur. Exempli gratia. B. 2. Pro extorserit perperam suppositit typographus, exarserit. C. 2. Pro contentiones, suppositit, conciones. Et mox sequente pagella, pro nulla, suppositit vlla. D. 2. pro aliquanto, suppositit, aliquãdo. D. 3. in sententia Demosthenis omissum est integrum penè hoc colon, πρὸς δὲ λοιδορίαν βλασφημίας, ἃς κατὰ. E. 2. pro adorare & colere,

sufferit

sufferſit adorari & coli. F. in linea 5. omiſsum eſt verbum ſignificauiſſet. Et in ſequẽte pagella, pro, traxerunt, ſuppoſuit, traxit. F. 2. verſa pagella, pro quaſi vos, ſuppoſuit quaſi cum vos. G. 1. cũ legi debuiſſet, S. Patrum, pro hoc depraua-tè ſuppoſitum eſt, S. Petri. K. 2. pro augmentum, ſuppoſuit argumentum. N. 1. pro, eſſe, ſuppoſuit, iſte. Y. 3. pro ſpiritum, ſuppoſuit peccatum. Z. 1. pro frequentes, ſuppoſuit frequenter. Z. 4. pro dictum non, ſuppoſuit, dictum. Et mox, pro vtcunq;, ſuppoſuit vtrumque. In ſecundo alphabeto, in e. 2. pro Biblia, ſuppoſuit ſi Biblia. in

integris dictionibus hæc fermè errata sunt & pauca quædam alia. In literis vero ac syllabis tot propemodũ mendæ sunt quot lineæ, in punctis tot errata, quot commata, quot cola, quot periodi. Eodem accedit, quod etiam pauca in Silesiã & Poloniam exempla aduecta sunt, cum non pauci auidè cupiant cuiusmodi hoc certamen sit, cognoscere. Plerique enim sibi persuadere non possunt, ea, quæ à me collecta sunt, dogmata esse Euangelicorum, cum adeo absurda esse videant, adeoq; et in Deum blasphema & in omne genus mortalium contumelioſa, vt, his stantibus, arbitrentur Christianum

num orbem nullo modo amplius ſtare poſſe, ſed eum tot tamq; furioſis hæreſiũ motibus colliſum iam iam ruere oportere. Quapropter, vt illud dubium eximi queat, et hæc confirmari conſequentia, rem feceris Reuerendiſsime Præſul neceſsariam multorum deſiderio, nec alienam à ſtudio pietatis tuæ, ſi iuſſeris librum Niſſæ recudi. Corrigendi moleſtiam ſubibunt M. Iacobus Schoreſius, et D. Syluester Hauck, ambo cõſtantes catholicæ fidei propugnatores. Deus æternus pater te conſeruet diu ad inſtaurationem afflictæ Eccleſiæ incolumem. Cui me piaq; ſtudia mea reuerenter cõmendo.

mendo. Datum Vratislauiæ octauo Calend. Ianuarij, Anno 1560.

Reuerendissimæ Celss. tuæ.

addictiss.

Frid. Staphylus D.

MODESTA

refutatio eorum, quæ Philip. Melanthon, & quidam alij obijciunt.

QVOD tardius tibi Philippe Melanthō, cæterisq; aduersarijs meis, quàm aut personis dignum est uestris, aut multorum de me expectationi par, respondeo, nolim id factum putetis vllo contemptu vestri, quos familiares dilexi, aduersarios non odi: sed partim, quia propter functionis meæ crebra negotia, tantū otij (præsertim hoc toto propemodum anno, cum peregrè abfuerim domo)

mo) non est mihi concessum: partim, quia non minus gauisus sum, quàm dolui, contentionem huius causæ in eum, in quo nunc est, locum tandem deuenisse. Lætor enim certè, quòd, cùm omnes eluctandi neruos intẽdistis, interea nihil afferatis, nihil dicatis omnino, quod non allatum dictumq; sit prius, quod non ab ijs sectarijs, quorum tu Melanthon gregalesq; tui disciplinam consectamini, agitatũ sit olim in omnes partes, varieq; controuersum: vnde spem cœpi haud inanem, eundem vobis restare exitum, quo omnes alias hæreses oppressas esse & concidisse videmus.

demus. Doleo uerò quidem, te hominẽ doctum, nec malè de bonarum artium disciplinis meritum, consenescentem ab ea causa non desistere, quæ abs te defensa, exitium: deserta, & tibi & multis alijs salutem posset afferre. Doleo præterea, cùm nullæ apud vos prioris amicitiæ, leges valeãt, cùm nullum pacatum de sarcienda concordia probetur consilium, cùm nulla denique legitima iuris disceptatio amplius habeat locum, sed hostili ferocia, sed insanis clamoribus, sed tumultuosis concertationibus omnia geratis: nihil modestè, nihil sedatis animi feruoribus. Doleo inquam,

quam, in tanta rerum omniũ con-
uersione, te te Philippe, impetum
in me, nihil in te hostili animo mo-
lientem, facere nunc maluisse, quàm
in vllos alios, quorum tela adhuc
cruenta hærent in persona tua. At-
qui istud studium tuum quanto di-
ligentius expendo, tanto ægrius
huc magisq; ipse inuitus trahor
abs te in hoc scribendi certamen.
Quamobrem si per te Philippe, tu-
iq; similes suum esset ius Ecclesiæ
mediocriter saluum atq; integrum,
vt saltem eas, quibus me priuatim,
extra causam communẽ opprimere
statuistis, controuersias liceret pub-
lico iudicio atq; ordinario vel com-
ponì,

poni, si sint sanabiles: vel legum vindicari pœnis, si contumaces: næ ego haudquaquam in hanc vobiscum concertandi arenam descenderem: in qua idem iudex, qui actor: idem reus, qui arbiter: sed lege agerem certa, & vsitato iure, veræ ne sint recitatiões vestrorum dogmatum, an criminationes falsæ, cum decreta ea, quæ vos iam pridem edidistis, sparsistis, quæq; altas iam egerunt in animis multorum hominum radices, recenseo atq; edo in lucem. Eamq; ob causam in hæc comitia distuli responsionem meam, sperans fore, vt præsentes de hac, quæ inter nos est, lite disceptaremus,

mus, iudice ordinario. Hîc esset enim Philippe, legitimus agẽdi modus, hæc vsitata inueniendæ veritatis via. At verò quoniam huc non venistis, & iam audacia est effectum vestra, vt receptæ leges conticescant, vt oppressa langueat authoritas iudiciorũ, vt instituta maiorum contemnantur: idcirco frustra me id consueto iure tentaturũ intelligo, quod iam pridem iniuriæ vestra sublatum in Germania est: quando causam habere potiorẽ hi, quibus deceptæ multitudinis parata suffragia sunt, existimantur. Hæc sanè legitimi tribunalis euersio, hic disceptandi nouus mos, hæc ipsa

ipſa rerum omnium miſerãda per-
turbatio cogit me, vt mihi iam ne-
ceſſe ſit vobiſcum agere, non more
maiorum, non iuſtis legibus Ec-
cleſiæ, ſed ex communi hæreticorũ
& inueterata conſuetudine: qui
propterea ſemper quaſi πόῤῥωθεν pu-
gnare maluerũt, quam vt, ſi comi-
nus aut συσάδην manus conſerant,
non aliquando legũ vinculis pro-
pius conſtricti teneantur. Quæ
peſsimi exẽpli à vobis introducta
nouitas me abducit eò, quò præ-
ſentem Eccleſiæ ruinam nefarij co-
natus veſtri impellere cœperunt: e-
amq; nobis legem ponunt, vt nunc
eminus cogamur ſcriptis dimicare

contra vos, non viua voce coram, neq; præsidente iudicum decuria, neq; expressæ legis vigore: verùm absente antagonista, & iudice & disceptatore imperito populo: inter cuius obtutum & veritatis aspectū (vt Demosthenes inquit) magnam esse caliginem, nouistis. Quin ea quoq; te Philippe, & tuos commilitones, oppressione Ecclesiastici iuris fretos videmus, nullius pigere flagitij, nullius mendacij pudere aut calumniæ: quippe cum dubitetis rē vestram posse veris documentis defendi, omnes ingenij vires ad maledicendum conuertitis, hac fiducia elati, quòd etsi ipsa ea, quæ inflixeritis

ritis vulnera, facilè sanari posse nõ ignoretis, cicatrices tamen eorum, quæ tolli non possint, esse remansuras: vnde saltem vel liuor aliquis aspersæ calumniæ appareat, tanquã veri quædam similitudo. Itaq; iam videre est, quàm furiosa in vobis exarserit, & quàm immanis calumniandi maledicendiq; libido, vt etiam flagitia nõ dubitetis in fraudem comminisci, quibus honestas personas, laude vitæ anteactæ venerandas, conamini deformare, cùm doctrinam conuellere nõ possitis. Nec recens ista est hæreticorum, sed vetus machinatio: etenim quàm atrocia erant illa, quæ Ariani in D. A-

thanasium confinxerant, facinora: Mulierem subornarant coniugatam, quæ se vi ab Athanasio compressam quereretur: proferebãt abscissum brachium, quod Arsenij cuiusdam esse, quem interfeciſſet Athanasius, criminabantur: scientia artis magicæ illum multa patrasse scelera. Vera hæc esse, quo ad res in iudicium pertracta non fuit, omnino credebantur. At verò, postquã causa est examinata per iudices, innocentia sancti viri magis effulsit, Arianorum patefacta malitia est. Quid nostro tempore accidit generoso Principi Duci Henrico? Deus immortalis, quorum ille facinorum

non

non insimulatus est, cùm ab alijs, tũ ab ipso Luthero: Sed iudices Ducem innocentem compererunt: in Luthero, similibusq́, turpissimorũ mendaciorum resedit infamia. Ad me verò quantum attinet, calumnias contemno vestras, fretus firmitate honestæ vitæ meæ, quando nullum theatrum virtuti conscientia maius est. Es sey euch allen trotz gebotten/das jr mir ein vneerliche that dürfft ins gesicht nachreden. Versor in luce hominum, in aulis Principum, maximeq́ Augusti Imperatoris, & Inclyti Ducis Alberti Bauarici: quorum vtriq́, quamuis immeritò, à consilijs sum: hos ego iudices, magistratùsq́ meos agno-

sco atq; profiteor : apud hos, si in-
genuè mauultis, quàm scelerate age
re censeri, actionem iure legum, si
quid in vita reprehenditis mea, in-
stituite coràm in consessu legitimi
magistratus, non in angulis offici-
nisq; chalcographorum : quemad-
modum facere consueuistis. Nam
si ex libellis istis vestris, quos in me
eiaculari soletis, maledicta, quibus
illi referti tumescunt, dempseris : si
conuicia in contumeliam conficta,
præcipuos vestræ rhetoricæ flosculos, resecueris : quotta remanebit,
quæso, pars orationis vestræ? Non
ignotum vobis est, homines natura
esse propensiores, vt vitia aliorum
exagitari

exagitari malint, quàm prædicari virtutes, audire: quòd hæ, quoniã raræ sint, perpaucis arrideant: illa, quoniam infinita propemodũ atq; peruulgata, communem vulgi morbum solentur. At mirum profectò te Melanthon, hominem studiosum maluisse artificium vitiosæ rhetoricæs ab AEschine mutuari, criminatore impudico, vt me obrueres calumnia, quàm veras virtutes imitari in Demosthene oratore casto atq; ciuili: ne tam errores cogare tuos agnoscere, quàm cognosci veritatem odisse. Sunt, qui tametsi aliâs tibi non malè velint, mirentur tamen, quòd, cùm iuuenis grauita-

tem senilem æmulatus sis, nunc senex iuuenilem petulantiam imiteris: an, quia senectutis vitio bilem secus concoquere non possis; vel, quia immoderatus tibi dolor quispiam eas adeò impuras extorserit & contumelioſas voces. Verùm, vtcunq; istud sit, non inquiro: grauibus viris certè & cordatis video istud studium tuum minimè probari, cùm non solùm Christianæ charitatis videare, sed ciuilis etiam decori penitus esse oblitus. Atqui nulla alia mentis malè sibi conscię in te si essent indicia, vel ista profectò tam furioſa maledicendi libido abundè posset, num Christi sitis,

qui

qui manſuetudinem nos docuit, an Sathanæ, qui arrogãtiæ eſt author & contumeliæ, diſcipuli. In libello noſtro hac me vſum ſpero modeſtia, & verborum lenitate, vos iure vt nullum poſsit verbum offendere. Ipſe Chriſtus mihi teſtis nunc eſt, qui idem mihi deinceps erit iudex, me in hac cauſa nihil egiſſe, nec agere, vel vllius odio hominis, vel vlla ſpe priuati emolumenti, vel vllo (vt maleuoli falſò dictitant) ſtudio ambitionis. Deum aũt deotè precor, vt lucem veritatis in nobis, & charitatis ignem accendat, ne nos odiũ occæcet, ne aut veritati pertinaces obluctemur, aut patrocine-

mur errori impudentes, neue etiam quid diuini nominis gloria indignum faciamus, & alienum ab officio hominis Christiani. Nolim igitur me speretis, oratoriæ facultatis vestræ fore æmulum, cum conuitiorum probra obesse soleant quàm plurimis, prodesse nemini, nec tam eradicare, quod falsum, quàm quod verum, plerumq; euertere. Dicis te Melanthon, respondere Criminationibus Staphyli, quænam, obsecro, istæ sunt criminationes meæ? Fateor equidem me, quæ illæ & quales sint, nescire, nisi dogmata ea, quæ propriè vestra sunt, & à me recitata, criminationes velis dicere.

Collegi

Collegi ſententias veſtras, & omnino bona fide collegi: nihil decerpſi, quod ad integritatem ſententiæ pertinebat: nihil admiſcui, quod erat alienum: ſed dico, conſtanterq; affirmo, veſtra illa eſſe, & veſtris expreſſa atq; euulgata libris: atq; hoc ita cum dico, polliceor me vbicũq; & quando fuerit opus, id probaturum. Quapropter te Philippe, decuiſſet non generatim, incerta ut eſſet reſpõſio, ſed nominatim, quid propriè veſtrum eſſe, quid alienum agnoſceres, exprimere: vt ſi falsò allegaſſem, falſarij criminis reus damnarer: ſi verè, vt aut rectè illa habere euinceres, aut retractares

tanquam ambigua, aut prorsus tá-
quam errata, quæ in hominem ca-
dere possent, abijceres. At horum
tu nihil omnino. Nec mirum, κλε-
πτῶν γὰρ ἡ νὺξ, τῆς δ' ἀληθείας τὸ φῶς, inqt
Euripides. Nam cum non igno-
res, vniuersum nouæ institutionis
vestræ corpus, variæ pestis conta-
gione inflatum tumere intus, foris
scatere fœdissimis carcinomatũ hul-
ceribus: tu igitur, vti non tam im-
prouidus, quàm parum fœlix medi
cus, si quidem de salute totius cor-
poris desperes, palliata cura, vt me-
dicorum verbo vtar, rem aggressus
es, & cũ diffidas vniuersam pestem,
quã tibi libellus meus aperuit, tolli

posse,

posse, tũ initio tu fœdissima quæq; pallio obducis, ne queant cerni: deinde strumis aliquot adhibes scalpellum, ne nihil egisse videare. Itaq; insidias tu tegere, clarissimæq; luci tenebras offundere vt possis, de industria confundis materiam disputationis, ordinem perturbas, ne videlicet queat lector, quid responderis, scire, modò te sciat respondisse. At enim tibi frons libri mei fortasse durior visa est, quã vt claua rem gereres, dentem irritati animi tui in caudam partemq; posteriorem libelli infigere maluisti à pixide Hesiodeæ Pandoræ exorsus, quàm à capite ipsius

causæ

causæ auſpicari negotium. Sithoc rhetorices tuæ artificium. Ego verò cùm à ſophiſticis & animo abhorream, quia delector apertis: & ſtudio, quia huic ego operam arti dedi nunquam: proinde vagum iſtum exultatoriæ velitationis tuæ curſum non ſequar: ſed conuertam me ad ea, quæ propria ſunt litis noſtræ, quæq; tu in libello culpas meo: cætera autem, quæ tu partim conuiciandi gratia, partim vt caliginem obducas cauſæ, admiſcuiſti, præteribo. Atq; verò ne exordio deeſſet πλαυγὲς πρόσωπον, me confeſtim in theatrum producis, atq; accuſas transfugij, flagitij ſanè haud

leuis,

leuis, præsertim in corona tuæ cõcionis: credo, vt me tali ornatum epitheto statim initio commendatiorem faceres tuis discipulis: quibus abs te si persuasum esset, me arcem euangelij prodidisse, ad castra profugisse Antichristi, ne facilè mihi, qui à vobis transfuga sim declaratus, habituri fidem, si aliquando enucleatius vestra mysteria retegere conarer, videantur. Ita tu falsum à nefaria insectatione priuatæ vitæ meæ iter struis ad euersionem doctrinæ Catholicæ, ὡς δὴ δή ἑνὸς κακῶ σωάπτωμι, vt Orestes inquit. Sed vt propius colloquamur, quæro abs te Melanthõ, vnde demum pro-

profugi? à quibus ? ad quos? quoniam me publicè perfidiæ crimine accusas, iure isthæc abs te mihi quærenda sunt ? non, quia tu dixeris, idcirco sit verum continuò, sed quia habeas eius rei certa documenta, quia possis producere testes minimè irreligiosos. Vrges verò tu me, cogor equidem nunc vitæ meæ rationem reddere publicè, cum id, si necessarium videretur, ad priuati examinis iudicium pertinebat. Vixi sanè diuersis in locis, & ita vixi, vt neq; me vixisse pœniteat, neq; eos, quibus cum vixi, tædeat pudeatúe consuetudinis meæ. Adolescens primo Cracouiam profe-

ctus

ctus fui, deinde Italiam petij studiorum causa, postea Vitebergam me cõtuli ad vos, manſiq; isthic annis plus decem, vt penitus, quæ Luthero esset aduersus Ecclesiam his, cognoscerem. Inde verò, Smalcaldicum bellum cum esset cœptum geri, ad meos in Prussiam reuerti, duciq; Alberto, te suasore, & cognatis meis, cum is sæpius me ad se in famulitium accersiuisset, operam condixi, primum vt essem in Academia professor, & mox, quoniam huic functioni renuntiabam, vt consiliarius. Quas autem hæreses ibi in populo, quas dissensiones inter professores offenderim,

quam

quam diuersa ſtudia voluntatum in cunctis ordinibus, longum eſſet commemorare, inprimiſq; in quas me publicas contentiones traxerint ſectarij, Gnaphæus, Polyphemus, Hakius, & alij. Non ita multum poſt, Norenberga profugus, in Pruſsiam venit Andreas Oſiander. Qui cum in Franconia naufragiũ Vitenbergenſis theologiæ feciſſet, Marcionis ſcapham arripuit, eaq; in Baltici maris oram vectus, diu longoq; tempore ſepulta Neſtorij atq; Manichæorum placita ſecum aſportabat. Me autem initio, vti tu ſcis Philippe, is ſeditioſus homo inuaſit, traxitq; inuitũ in illud, quod

diu

diu quæsierat, contumeliosum cer-
tamen, profectò nulla ratione vel
ecclesiastici alicuius muneris, quod
nullum vnquam suscepi aut gessi:
vel officij academici, quod iam pri-
dem reliqueram: sed quòd interro-
gatus à Principe dixeram, dogma-
ta Osiandri Manicheæ, Nestoria-
næq; hæresibus esse finitima. Id
Osiandro cum esset renuntiatum,
cœpit ille eam, quæ inde mox secu-
ta est, tragœdiam excitare in Prus-
sia. Qua autem in contentione,
quo etiam hortatu tuo, non leni-
ter implicabar, qualem virum te,
& quàm constantem præbueris,
ego oblitus non sum, meminerunt

cõplures, nec literæ crebriores tuæ sinent obliterari. Sed hæc nihil ad causam. Illam verò nactus occasionem, cum penè inuitus retinerer à Principe, nec vlla spes propter nouitatem Osiandrini dogmatis appareret amplius restaurandæ Ecclesiæ, feci, quod Christianum hominem decebat, vt, quia animus à vestris dogmatibus iam abhorrescebat, corpore etiam, vt abessem longè à vobis, dedi id operam. Prussiam itaq; reliqui, cognatos, affines, familiares deserui, rem domesticam magno affectam detrimento neglexi, in Silesiam me meosq; transtuli, & ad tempus sedem

fixi

fixi Nissæ. Hæc ita facta esse, & nō secus, nemo non nouit, nisi qui non nouit me. Quid autem in hisce rebus est Philippe, quod vllam habeat speciem fugæ? quod vllam trāsfugij suspicionem? aut aliquod flagitiosæ defectionis crimen? Vixi equidem (vt antè dictum est) diuersis in locis, vel literarum gratia, vel conficiendorum causa negotiorum, & vixi honestè, vixi inculpatè, vixi modestè. Eiusq; anteactæ vitæ meæ non solum eorum, apud quos conuersatus sum, & qui minus mihi sunt, quàm vos, irati, honorifica possum testimonia proferre, verumetiam & vestra, & tua

Philippe, inprimis. Toto illo tempore, quo fui Vittenbergæ, an vllæ de me sunt delatæ querelæ? an accusauit me quisquam in iudicio? an sum vnquam in vestro conspectus consistorio? Deniq; cum Vittenbergam relinquerem, an tum aufugi turpiter, vel discessi honestè? Tu in hospitium venisti, valedixisti mihi, & ego tibi vicissim, itemq; alij pariter. Ex Prussia quidem discessi, inuito propemodum Principe, & amicis: at neq; tibi, neq; cæteris Vittenbergensibus ille discessus meus fuga, sed religiosa contagiosi pulueris excusio videbatur esse, quandoquidem Osiandri venenum

nenum non minus vos deteſtandum exiſtimabatis, quàm ego vtrorumq́, hoc eſt, & veſtram, & Oſiandrinam peſtem deteſtabar. Atq́ etiamſi Pruſsiam idcirco penitus (non abſq́ magna iactura aliquot millium) deſerui, vt omnis generis hæreſes nõ ſolùm animo, ſicut iampridem feceram, verumetiam corporis abſentia, quod iam tum faciendum decreuerã, vitare poſſem: nemo tamen poterit affirmare, me fugiſſe ex Pruſsia, vnde ſponte mea migraui, non diſceſsi coactus, ſed retentus potius, ſi modò voluiſſem. Quid tu ad hæc Philippe? Nihil potes, niſi ita facta fateri: ſunt e-

nim ea tibi nec ignota, nec dubia: quæ mihi potius laudi ducenda, quam malè interpretanda iudicasti: quo pacto igitur ea in transfugij crimen detorseris? Nunquam voluisti, inquis, in ecclesijs nostris docendi munus suscipere: Lubecæ vt esses vel Augustæ, vel Brunsuigiæ superintendens, recusasti: ad Duces Megalaburgenses, cum te expetissent, ire noluisti: ad Papistas maluisti, quã ad nos migrare, atq; sedem constituere. Rectè, verum dicis Philippe. At hinccine istæ lachrymæ? Quæro autem, cur hoc mihi non licuerit facere, illud recusare? Nunquid ego in verba vestra aut dogmata

dogmata vnquam iuraui? Num Sclauus ego vester, aut mancipium vnquam fui, vt mihi esset nefas recusare, quod nollem, migrare quò vellem? An hãc ob causam tibi sum transfuga, quia Catholicam Ecclesiam sim amplexus, Synagogã detestatus vestram? Non sit tibi hoc mirum Philippe: quia istam vestrã, non Ecclesiam iudico esse, sed sentinam omnium hæresium: illam cõtrà, esse columnam basinq; veritatis. Si in hoc transfugij aliquod peccatum est, malo equidem hîc transfuga dici, vt sempiterni supplicij cruciatum effugiam, quã istic haberi domesticus, vt peream vnà vobiscum.

At enim inconstantia est, leuitas est, aduersari his, quibus cum ante vixeris familiariter: nam, vt Stoicis visum fuit, iusipientis est mutare sententiam, pœnitere præteritorū, ac dicere, Non putaram: contraq; se falli posse, non credere, de opinione non cedere, sapientis. Zenonis ista sunt, hominis non ita indocti, quàm vehementer inhumani: cum errare, decipi, falli aut hallucinari, sit quidem hominis non præclarè agentis, sed hominis tamen non prorsus scelerati. Verùm hoc non solùm tu, sed & illi solent clam obiicere, qui sic Athenis vtuntur pallio, vt Romæ liceat esse togatis:

gatis: quiq; apud Lutheranos cum sunt, me proditi euangelij insimulant, cum apud Catholicos, factionis Lutheranæ. Nimirum quasi ego, veluti Epicureus quispiam, dijs sacrificem foris, cum eosdem tamen domi negem prorsus existere. Tam procul certè ab vtroq; scelere abesse volui semper, quam longè latéq; vos, cunctosq; alios cupio, si corrigi non velitis, à Christiana Rep. exterminatos, vel si corrigi, ad gremium Ecclesiæ receptos, cernere. Scio equidem, quod recessus ab Ecclesia esse potest humani arbitrij, reditus autem non nisi benignitatis diuinæ. Cuius rei exemplum citius

possum, quam euidentẽ causam afferre. Arcesilaus enim philosophus quærenti, cur multi ab Academia ad Epicurion deficerent, vix pauci redirent ad Academiam, respondit, ex viris eunuchos gigni posse, ex eunuchis autem viros nequaquam. Sic hæresin vidimus natam ex verbo Dei, verbum aũt Dei natum ex hæresi nunquam audimus, nec legimus vspiam: siue quoniam angustior via Ecclesiæ est & asperior ad salutem, siue quia semitæ hæresium, propter illecebras, sunt amœniores ad fraudem, propter cõmunem vulgi cursum, patẽtiores ad interitum. Eamq; ob causam, credo, fuit sem-

per

per maius gaudium angelis de recuperata vna oue, quæ perierat, quàm de seruato vniuerso grege, qui nusquam aberrarat. Impingere quidem ac labi inconstantis est, fateor: resurgere autem, cum possis, nolle, hominis perditi. Atqui verò potest fieri, vt D. Augustinus censet, vt animo quispiam sit in Ecclesia, corpore foris: viciss. animo foris, intus corpore. Sed horum iudex Dominus. Inconstantiæ quidem leuitatisq; nota minimè caret, qui deserto veritatis orbe, ad errorū asyla confugit: sed hîc remanere, illuc, non reuerti, nō solū inconstantis est, verum peruersi hominis etiam.

Magna

Magna fuit inconstantia, magnũq; dedecus deficientis Petri, gloria autem & lætitia maxima reuertentis. Paulus Ecclesiam, dum errabat, persequebatur hostis: eandem conuersus, mox vt fidelis ciuis tuebatur. Augustinus verò quid? certè quoad Manichæus erat, hæresin propugnabat, Ecclesiæ obluctabatur: cũ resipuisset, castam ei fidem præstitit semper. Osius Cordubensis Præsul, fraude deceptus Arianorum, imprudenter subscripsit Syrmiensi Synodo: admonitus autem ab Episcopo Alexandrino, errorem correxit, ad Ecclesiam reuertit. Quanquam verò ingens peccatum est,

priuato

priuato lapsu publicam causam Ecclesiæ facere deteriorem, at nullo modo profectò tantum malum putandum est, erroris commissi, quàm dimissi pertinax defensio. Non inficior, me nonnullis uestris circumuentum fuisse & imbutum opinionibus, communiq; huius seculi tempestate longius aliquanto à vero portu Ecclesiæ prouectum: verùm continuò, vt id potui per ætatem sentire, vela verti, in stationem recurri, anchoramq; fixi eo in loco, vnde me, Dei auxilio, in posterum nulli hæresium fluctus deturbabũt. Desinas ergo Melanthon, mihi perfidiosæ defectionis stigma inu-

rere,

rere, cum, si mellita venena vestra non satis cautè vitabam adolescēs, ea nunc detestor, ea nunc execror, ea nunc fugio homo ætatis maturioris: sinasq; scholis id licere Christianorum, quod Aristotelis Lyceo, hominis ethnici licebat, ne, quod veritatis proprium est, amicitiæ tribuamus. Neq; temerè à me hoc, aut prorsus insciтè dici, ut imperiti suspicantur, neq; malitioſè, vt calumniantur non incerti hostes, sed verè atq; piè, ipse euentus abunde demonstrabit aliquando. Postquàm verò nomen personæ meæ sat graui oneratum inuidia, ac deformatum putasti, ad

libelli

libelli mei oppugnationem deflexisti stilum, ac dicis illum esse ἀμάξιον βλασφημιῶν, hæc duo verba ex Demosthene mutuatus, & quod ille rectè pro ipsius causæ statu dixerat, tu in personam meam perverse congessisti. Nam tametsi in ἀντιγοριαῖς vestris quædã est κατηγορία mea, non diffiteor: verùm aio categoriam à lædoria & blasphemia differre non parum: quemadmodum ipse non incertus esse potest interpres sui Demosthenes, ἐγὼ λοιδορίαν, inquit, κατηγορίαν τούτων διαφέρειν ἡγοῦμαι, τῷ τὴν μὲν κατηγορίαν ἀδικήματ' ἔχειν, ὧν ἐν τοῖς νόμοις εἰσὶν αἱ τιμωρίαι, τὴν δὲ λοιδορίαν βλάσφημίαν, ἃς κατὰ τὴν αὐτῶν φύσιν τοῖς ἐχθροῖς περὶ ἀλλήλων συμβαίνει λέγειν.

Ecquod

Ecquod certius requiris, inter contumeliam & ipsum causæ negotiũ, discrimen? Proposui ego antilogias vestras in libro meo, easq; à vobis quondam publicè inuulgatas, à me nunc repetitas duntaxat. Quæ antilogiæ si noxiæ, si pernicioſæ sunt, & accusationi illas, & legum pœnis subiici necesse est: sin minus, absolui oportebit. Intelligis, credo, Melanthon, eam, quæ est in libro meo, accusationem antilogiarum, non lædoriam, sed categoriam esse, multo minus ἀμάξιων βλασφημιῶν, quas ait Demosthenes hostibus iuxta suam cuiusq; naturam conuenire, de sese mutuò dicere. Quo fit, vt

ipsemet

ipſemet te eius, quo me cõdemnas, peccati reum non obſcurè renunties. Quid enim? plauſtra ne blaſphemiarum ſunt, ſi quos publicè edidiſtis, libros veſtros legimus, ſi excutimus, ſi ea quoq; ex diametro quæ ſibi repugnant, proponimus concilianda? Si itaq; blaſphemi ſunt habendi, qui antilogias veſtras recitant, quo in loco vos haberi debetis, qui eas cõmenti eſtis, qui eas conſcripſiſtis, qui non dubitaſtis, eas, vti purum expreſſumq; Dei verbum, populo venditare? & diſcipulos veſtros in illorum verba iurare cogere? Addis porrò, & quod more rhetorices tuæ ante in

genere cœperas, vt definires id sigil-
latim, asseris me non solum tibi, ec-
clesijsq; vestris rabiosè (ô VVitten-
bergensis Scholæ vrbanitatem &
elegantiam) maledicere, sed libros
etiam propheticos & apostolicos
afficere contumelia. Hæc ista tua
legens Philippe, non te hercule, sed
Patrem tuum in te loqui sum arbi-
tratus, cui nox dies est, & lux te-
nebræ. Quid autem tibi responderi
ad ista debeat, inuentu non tam dif-
ficile est, quam quid pijs auribus e-
disseri, difficillimum. Si te dico tur-
piter mentiri, rectè quidem tibi re-
sponsum est, non enim est secus, sed
parum ciuiliter satisfactum pijs vi-
ris

ris atq; modestis. Quapropter ne ego λοιδορίαν ἀντιλοιδορίᾳ, vt Diuus Petrus vetat, aio te omne excutere maluisse, quàm vllum mordere frenum. Nam quod dicis me tibi rabioſè tuisq; ecclesijs maledicere, esto, quanquã id non feci, quale id esset, et quàm indignũ facinus? Si tibi fas est, tanquam alteri cuipiã Polycrati, maledicere vniuersis, quomodo iniquum, te malè audire vicissim à nõnullis? Sed ego, sicut ante me obstrinxi, non ita quid iuris est, quàm quid necessitatis nostræ, & licentiæ vestræ, sequar in hac responsione mea. Quamobrem ne cogar id, quod minimè verè dicis, me verbũ

Dei afficere contumelia, duriori aliquo verbo exequare, peto abs te perquàm humaniter, vt eius rei vllam vocẽ aut quæ minor est, vnam literam ex toto libello meo proferas, cui vlla insit, non solùm manifesta contumelia, sed aliqua saltem in apostolicos aut propheticos sermones contumeliæ suspicio. Ego me non magistrum doctorum, sed Ecclesiæ orthodoxæ discipulũ profiteor, Christianumq; hominem, atq; sic omnino edoctum, vt docuit Ecclesia, esse sermones Prophetarum atq; Apostolorum ipsum Dei verbum: quo secundum Deum, neq; sanctius quicquam, neq; diui-

nius

nius vſquam reperiatur: cui fidem habere firmam debeant omnes, refragari nemo: cui demi aliquid, quod adeſſe oporteat, ſit ſceleſti ſacrilegij, addi, quod abeſſe, nefariæ hæreſeôs. Ita planè de ſcripturis ſacris ſentio, num aliud tu in libro reperiſti meo? Non ſpero. Atque tibi ſi aliud videtur, tu fac in ſcriptis meis, quod ego in tuis (hæc enim lex Diuo Auguſtino æquiſsima viſa eſt) & propone publicè: adeoq; me non offendes, quin vltrò tibi ſim gratiam habiturus. Verùm dum id ſimulas, Philippe, agis longè diuerſum, vt, quoniam nimis muliebre putas fortaſſe illud Græ-

corum ἀκμὴν, virilius sit imitari Tiberiũ Cæsarem, qui, quod maximè cupiebat, simulabat se nolle: & quod nolebat, velle voluit videri. Recitaui ego in Antilogijs non sermones Prophetarum, non Apostolorum, sed vestros. Atq; hos dum commemoro, dum redigo in ordinem, dum legendos propono, clamas tu, me sermones diuinos contumelia afficere. Quid obsecro tibi vis Melanthon? Non quidem vis certè videri, at vis profectò penitus scripta ista vestra, & quas ex his collegi, antilogias, tãquàm Dei verbum, sermonesq; Apostolorum nos adorare, pro non incerto

incerto numine colere debere. Romanus Pop. C. Cæsarem, quòd dicta sua pro lege haberi volebat, execrabatur: nec iniuria: etenim lex est, non vnius aut alterius libido hominis, sed prudentum virorum decretum. Quantò isthæc arrogantia tua execrabilior, qui manifestos errores, planeq; hæreses iã olim damnatas, nos tyrannicè iubes habere pro sermõibus Propheticis & Apostolicis, atque pro ipso Dei verbo? Quid tu aliud, quàm Sathanas, vt prostrati, te sermõesq; tuos adoremus? Recẽsere tua fœdissima errata, quorum nunc te pudet aliquo modo, si hoc est sermones

Prophetarum & Apostolorum af-
ficere contumelia, nunquid errores
tuos non exæquas scripturis diui-
nis, atque adeò etiam ipsi Deo?
Quam aliam expectamus abomi-
nationem in templo Dei stantem
videre? Nullam profectò: nam
signa concurrunt reliqua. An pseu-
doprophetæ multi non venerunt?
non multos seduxerunt? An aliâs
vnquàm plus refrixit charitas, ma-
gisq́, nequitia, quàm hoc seculo
nostro, abundauit? In Ethnicismo
forsitã, in Christianismo nunquam
magis. De dissensionibus autem,
quas Christus prædixit, num si-
gna dubia sunt? De fide pugãnt fi-
lius

lius aduersus patrem, aduersus matrem filia, soror aduersus fratrem, & contrà. Quam ob causam verò? Quia dum tu tua, alij prophetæ sua dogmata esse expressum Dei verbum asseritis, dumq; auditorum alij tua amplectuntur, repudiant aliorum, vicissimq; alij tua abominantur, & præferunt vel Osiandri, vel Caluini, vel Illyrici, vel Suenckfeldij decreta, an mirum est, ex tali opinionum diuersitate atq; pugnãtia non solùm in multis prouincijs ac vrbibus, verumetiam in singulis domibus tantas esse, tamq; nefarias de fide contentiones? Hi cum te adorant Idolum suum, illi alios, &

singuli diuersos, ea ne demum schismata miramur euenire? Dicis impios esse clamores meos, qui vociferer esse diuinum sermonem ambiguum, veluti σφιγγὸς ænigmata, ac potius μῆλον ἔριδος. Contumelia quidem grauis est, inquit Hippias apud Plutarchum, sed longe grauior calumnia, quòd hæc legibus coërceri non potest, illa potest nonnunquàm. Nunquàm dixi, multò minus vociferatus sum Philippe, diuinum sermonem esse aut Sphingis ænigmata, aut pomum litis. Vtrumq; est figmentum tuum, non dictum meum: ac nisi improbus mauis, quàm ingenuus hostis videri,

videri, proba, quod asseris: ostende, quod occultas, scilicet vbi nam istud dixerim, scripserim, vociferatus sim, monstra: ego enim nego: quare, quid te deceat, haud ignoraueris. Nec etiam illud, quod dicis me clamare, diuinum sermonem, hoc est, scripturam S. esse per se ambiguam, est ex omni parte verum. Etenim quis Christianus ita vel insanæ mentis est, vel fidei catholicæ imperitus, qui Spiritum Sanctum, quem diuinarum scripturarum authorem prædicamus, arguat ambigui fallacisq; , veluti Pythiũ quendam Apollinẽ, oraculi: Oro te Philippe, ne me, vllo sue

catho-

catholicos tam nefarij, tamq; blasphemi flagitij graues inuidia apud populum. Nunquam in mentem mihi vlla venit de certitudine scripturarum dubitatio, tantum abest, vt istud vociferatus sim alicubi. Quanquam non inficior, S. Patres aliquando obscuram esse & ambiguam scripturam dicere: at profectò nequaquam hoc animo, quòd ipsum Dei verbum existiment per se fallax incertumúe esse, aut obscurum, aut ambiguum, (quis enim possit lucem tenebras credere?) sed quoniam non omnibus obtingit æquè excellens mentis lumen, cùm alij obtusius, alij acutius rectum scri-

pturæ

pturæ ſenſum queant cernere, fit, vt illis obſcura, his aperta & clara videatur. Si hoc locutionis tropo (quanquam ego me ita locutum nō memini) nunc vel ego vel alius quiſpiam, veterum authoritate fretus, diceret, Scripturā S. ambiguam eſſe, num idcirco diuinum ſermonē cōtumelia, vt tu cenſes, afficerit? Erras Philippe, vel potius ſciens volensq; peccas, odio mei, amore tui. Quid enim? politia Moſis nonne magna ex parte eſt allegoria adumbrata de futura luce Chriſti & Eccleſiæ? ſi omnia quæ aut Moſes nobis, aut, qui hunc ſecuti ſunt, duces, & prophetæ, ac reges

ges ſcripta reliquerunt, non niſi ad literam ſeu hiſtoriam exigi, nec aliud in ijs, niſi τὸ ἐκτὸς retinendum putas, quantam tu ſyluam infinitæ aperias abſurditati? Exempla tibi poſſum varia referre, ſi ſit opus, quæ ipſemet præſens cognoui. Quid aliud, niſi iſtud dogma tuum, Philippe, Anabaptiſtas in eũ traxit errorem? Regnum Dauidis ſomniabant; uxores tot licere, quot libeat ducere; inceſta cõmitti, peccatum eſſe non putabant exẽplo Lot. Nam dum τὸ ἐκτὸς ſolũ ſecuti ſunt, catholicum ſenſum amiſerunt, eumq; in errorem, te duce, iuerunt præcipites? De Propheticis ſermonibus

quid

quid opus est litere? si ita aperti sunt, si nil habent abstrusi, si nil obscuritatis, quid attinebat Philippum Apostolum interpretari Esaiam Eunucho Candaces reginæ familiari? Quid sibi ipse Dominus voluit, cũ parabolarum inuolucris abstrusos sermones suos haberet ad concionẽ populi? Nec sanè scripturam sacram interpretatus fuisset suis discipulis, nisi illam arcanis refertam mysteriis, varieq; posse, atq; ambiguè intelligi significauisset. Epistolas Pauli forsitã dices planas esse atq; apertas, intellectuq; faciles, vt illas interpretari non sit necessariũ, satis de genere sermonis lectorem

admo-

admonere. Ita tu quidem Philippe: verùm quid Diuus Petrus? Certè esse δυσνόητα pleraq; in Pauli epistolis dicit, quæ indocti, hominesq; instabiles soleant, cum ea non rectè intelligant, perperàm maleq; detorquere in suam ipsorum perniciem. Iam verò (multa autem hîc prætereo) si ipsamet de se scriptura sacra testis est, quòd sit abstrusa, quòd multis recondita mysteriis, idq; adeò etiam, vt ambigui ex se, pernicioſiq; sensus queat promi: quid est Philippe, quod desideres amplius? Causas autem si forte, cur diuini sermones sæpe abscõditi sint, requiris? Antiquos consu-

le

le ſcriptores, Clementem Alexandrinum, Epiphanium, Baſilium Magnum, & huius fratrem Gregorium Nazianzenum: & Latinos noſtros, Ambroſium, Auguſtinum, & item alios. Singulorum hîc aſcribi ſententias, longum eſſet: libri eorum extant, reperies, quod aſſeuero. Et vt ego ex patrum ſententia, meam pronunciem, Deus idcirco medullam diuinorum ſermonum voluit eſſe myſteria, quòd hæc, quia à verbo μῦω hoc eſt, ab occludendo nomen traxerunt, non cuiuis debeant, ſed his, quibus ad ea Sacramenta clauis Eccleſiæ data, certa lege patere, vulgo occludi-

Quid igitur Philippe? Negas obscuros esse diuinos sermones? Ais ita apertos omnino, vt nullum vlli possint ambiguum sensum præbere? Ita Zaducæi olim, vt Iosephus recenset: Ita Ariani, vt Basilius: Apostolici & Dimæritæ, vt Epiphanius. Quid ergo tibi vis, cum eas in Ecclesiam Dei hæreses reducis? Pro te nunc respondebo, quoad responderis ipse. Hoc vis profectò, primum, quia authoritas regni vestri pendet ex applausu seductipopuli: proinde huic vt blandiare, vt hunc tencas deuinctum, vt hic sibi altum videatur sapere, persuades faciles intellectu esse scripturas,

pturas, non ambiguum Dei ſermonem, cuiuis ſenſum illius, & myſteria obuiam occurrere. Credit hoc ita eſſe illiterata multitudo: cui tamen, ſi cum Illyrico tibi agendum, idem ius eripis, quod eidem tribuis viciſsim, ſi pugnandum tibi contra nos. Hoc enim carmen, μὴ κρίνειν ἀρετὴν λαοδικῳ σοφίᾳ, in Pontificio certamine improbaſti ſemper, iam idem approbare cæpiſti in perduello Illyrico. Deinde quoniam dicitis nihil vos in contionem, niſi nudum, niſi purum, niſi expreſſum Dei verbum afferre, ſcilicet, vt hoc fallaci prætextu credant imperiti homines, commenta ve-

ſtra, locos communes tuos, Confeſsionẽq; iſtam Auguſtanam, eſſe Dei verbum, eſſe ſermones Apoſtolorum, eſſe oracula Prophetarum. Poſtremò id deniq; efficere vis, vt, cum illud de nobis perſuaſum populo eſt, hoc de vobis etiam habeat perſuaſum: quaſi vos nihil loquamini, niſi ſcripturam ſacram: nos contrà nihil, niſi traditiones humanas atq; hominum commenta. Non minus in ore, quàm in cauda veneni habet iſte ſerpens: falſum eſt enim, vos nudam ſcripturam afferre: in Deum blaſphemia eſt, tuos locos eſſe Dei verbum: mendacium quoq;, nos Dei verbum abijcere,

abijcere, humana decreta, pro diuinis plebi obtrudere. Sed hæc tu fundamenta in nobis scelerate confingis, vt mendacia in his tua exædificata cum aliqua specie possis obumbrare. Amplectimur nos scripturas S. & integras quidem, non (sicut vos soletis) vlla parte mutilas: exosculamur oracula Prophetarum: sermones Christi, & Apostolorum sacrosanctos habemus: vniuersa denique S. Biblia, legem scilicet, & euangelium, recipimus, veneramur, sequimur, & eadem integra quidem, nulla parte sui truncata. Quod, obsecro, à nobis Dei verbū exigis aliud? At verò, quo-

niam non hoc agis, quasi id ignotum sit tibi, sed illud, quod supra diximus: itaque vt certū huic quæstioni figamus terminum, aio hunc esse scopum vniuersæ litis, non vtri expressum Dei verbum habeant aut allegent (neutra pars enim hoc in loco sibi deest) sed vtri verius Dei verbum intelligant, rectius explanent, concinnius interpretentur. Ea cum sit huius de verbo Dei, controuersiæ summa contentio, vos interea, altera eius parte dissimulata, vociferamini, traducitisq; nos vulgo, quasi scripturam sacram nolimus esse controuersæ religionis iudicem. An non detestanda

ſtanda iſthæc veſtra impudentia eſt, Scribimus, dicimus, teſtamur publicè atq; priuatim, nos nullum velle huic liti iudicem, niſi ſolum Dei verbum: at non, vti vos, dimidiatũ, ſed integrum, hoc eſt, & ipſum ſcripturæ S. textum, & orthodoxũ eius intellectũ pariter, τὸ ἔγκυρον καὶ τὴν διάνοιαν, τὸ ἔγγραφον καὶ τὸ ἄγραφον. Hæc enim duo ad integritatem diuini verbi pertinere, docuit nos D. Paulus, cum ait: State fratres, & tenete traditiones meas, quas edocti eſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Eum Pauli locum conſenſus Catholicæ Eccleſiæ, non ſecus, atq; iam eſt dictum,

intellexit vnquam. Verùm tu vt hæc, quæ copulata sunt, diuellas, Epiphanij dictum profers nunc, protulisti etiam in colloquio Vvormaciensi, ex ea, quam aduersus Catharos habuit, disputatione. ἀλλὰ πάντα τὰ θεῖα ῥήματα οὐκ ἀλληγορίας θεῖη, ἀλλὰ ὡς ἔχει θεωρίας δὲ θεῖη καὶ αἰσθήσεως, εἰς τὸ εἰδέναι, ἑκάστης ὑποθέσεως τὴν δύναμιν. Hoc Latinè sic verti potest. Non omnia verba diuina egent allegoria, sed prout sese habent. Speculatione namque indigent & sensu, vt sciri possit, quæ cuiusq; propositionis vis sit, aut notatio. Quo ex dicto persuadere niteris, adeò aperta esse & plana scripturarum mysteria: vt, quoniam

allegorijs

allegorijs nihil habeãt inuolutum, opus non ſit operoſa illa & Catholica S. Patrum interpretatione: & vt vobis ſub hoc obtecto velamine, liceat nõ interpretari modò, ſed veſtras interpretationes etiam, commentariosq; eſſe purum Dei verbum, aſſerere. Quàm porrò multiplex vna iſta in re fraus tua ſe occultat Melanthon? Primum quia, ne iſta impoſtura tua queat deprehendi, non aſsignaſti, vbi id dixerit, & quo in loco, Epiphanius: deinde dictum Authoris fraudulenter mutilatum produxiſti: poſtremò, diſsimulaſti ſimiles Epiphanij ſententias, è quibus illud di-

ctum potuisset rectius intelligi. Dixit Epiphanius, & dixit verisimè, non omnia scripturarum verba allegorica esse. Quid hoc ad causam? Qualis autem ista tua est Melanthon, connectio? Quædam verba non sunt allegorica; ergo tota scriptura sacra non eget catholica interpretatione. Quàm sis absurdus, vide. Esto; fingamus nullas omnino esse in scripturis Allegorias; idcirco ne catholica scripturarum interpretatio repudiãda est? O quàm hoc in loco tibi palpitat cor tuum, quàm tremit mens, tanti sceleris sibi conscia. D. Epiphanius scripturas sacras neq; semper ad Allego-

rias

as referri oportere, sed & alios quos dam explanandi modos docet: videlicet, initio requiri ipsum scripturæ textum: deinde & hunc speculatione quadam discutiendum esse, adhibita methodo scientiarum, ac sensu externo, rerumq; experientia: præterea, ne quis sua deciperetur theoria aut sensu, sicut facillimè fieri posset, ostendit (quòd tu veteratoriè obtruncasti) opus quoq; esse traditione S. Patrum, & Ecclesiæ. Sic enim cõtinuò subtexuit, δεῖ δὲ καὶ παραδόσεως κεχρῆσθαι. ἐκ γὰρ πάντα ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς δύναται λαμβάνεσθαι. διὸ τὰ μὲν ἐν γραφαῖς, τὰ δὲ ἐν παραδόσει παρέδωκαν οἱ ἅγιοι ἀπόστολοι, ὡς φησὶν ὁ ἅγιος ἀπόστολος, ὡς παρέδωκα ὑμῖν. καὶ ἀλλαχοῦ. οὕτως δὲ δάσκω, ἠδὲ οὕτως παρέδωκα ταῖς ἐκκλησίαις.

Latinè

Latinè sic forsitan. Oportet etiam traditione vti: non enim omnia possunt ex sacra scriptura sumi. Eaquè de causa quædam in scripturis, quædam in traditione tradiderunt S. Apostoli, vt inquit D. Paulus: Sicut tradidi vobis: & alibi. Sic doceo, & sic tradidi Ecclesijs. Quid magis potuit, quam hoc ipsum, repugnare assertioni tuæ? Tu vt doceas solam debere nudamq; scripturam esse iudicem controuersiarum, submoueasq; hoc dubium, ne putetur scriptura, propter allegorias, per sese sola obscurior esse, quam vt queat à quouis intelligi, authoritatem Epiphanij obtendis: qui pror-

prorſus in te pronunciat contrarium, propoſitis duobus interpretandæ ſcripturæ modis, vno per methodum τὴν πρώτερον καὶ ὑστέραν, altero per traditiones Apoſtolorum non ſcriptas in chartaceo codice, ſed in viuo corde Eccleſiæ. Hunc poſteriorem modum tu furtim ſuppreſsiſti, ſuperiorem clam vſurpas more tuo: ſed vulgo ne hunc quidem vis in te animaduerti, ne non ſolam ſcripturam videare iudicem velle: quæ adeò ſit plana, pateatq; æquè vniuerſis, vt credat populus interpretatiõe opus nulla eſſe, cum non omnia allegorijs ſint abſtruſa. Cur, ſi ita tibi probatur Epiphanius, non

us, non etiam hunc illius locum ſic ſcribentis cõtra Arium, produxiſti: ὅλη γὰρ ἡ βίβλος παροιμίαι εἰσί. πᾶν δὲ τὸ παροιμιαζόμενον οὐ ταυτὸν ὄντι τῇ δυνάμει, ἀλλὰ ἄλλῃ μὲν δηλοῦντι, ἄλλῃ δὲ δυνάμει ἀλληγορεῖται. Non ideo hoc contendit egregius Pater, quòd nihil in ſcripturis putet eſſe germano expreſſum ſenſu, abſit, ſed quod nuſquam non recondita latcant in ſcripturis arcana Dei myſteria, quæ haud dubiè, vt agnoſcat Eccleſia, ſcripta ſũt & dictata per Spiritũ. An non te pudet, tædetq; Philippe, eius tam turpis, tamq; manifeſtæ impoſturæ? Ecquid, nõ eſt hoc diſiuncta confundere, diuellere cõiuncta, mutilare ſolida, accumulare aliena. Eiꝰ

criminis

criminis dū me insimulas falsō, ipsum te eius verè condemnas. In hasce salebras Philippe, vbi te vides cōiectum iri, nec incerto ictu iugulum peti tuum, ibi tu exclamas, metu perculsus haud inani, tuum gregem esse veram Dei Ecclesiam: & continuò, vt quàm ista Ecclesia verè Dei sit, declares, opem imploras, fidemq; popularium tuorum: quia enim talis ista Ecclesia vestra, in qua vera habitare concordia nō possit: itaq;, cum tot vndiq; hostes irruant, saltem syncretismo pax domi vt simuletur tantisper, quoad oppressis externis hostibus, domi ad deposita arma positis reuerti per ocium.

O tesseram

O tesseram Ecclesiæ vestræ nobilem. Nec profectò potuisses Philippe, aut personæ tuæ quicquam aptius, aut nouæ disciplinæ vestræ, quod magis proprium esset, effingere. Sed quid est syncretismus? quid sibi vult? Vbi in scripturis expressus? Lege tecum agam tua, nec sit molestum scripturas me exigere. Paulus ita quidem, sed ex versu Epimenidis,

κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θήρια, γάστερες ἀργαί.

Hoc fundamentum syncretismi est: iam parietes videamus & tectum. Plutarchus meminit, & passim referunt historiæ, Cretas peruersis domesticarum rerum studijs deditos fuisse

fuisse semper, vnde tam pertinaces extiterint mutuæ inter ipsos contentiones, vt nunquàm non intestinis laborauerint discordijs, nec vlla alia in re conuenirent, nisi cum vicinis vbi bellum gerendum, solummodo interea pacem vt domi simularent, quò robustius possent exteras gentes inuadere. Ex hac sanè Cretensis populi infamia nomen traxit syncretismus. Quàm autem tu euangelicè hoc, dum suades syncretismum tuis, ego nescio, tu videris. Propheticus sermo pacem non fictè iubet, sed verè colit: & sermo Apostolicus, corde nos vult mutuo diligi, non lingua, non

voce, non ſimulatione. Nec ſanè vllum reperio, quod rectè imitari poſsis, exemplum ſyncretiſmi, ſed quod omnino vites, eſt in promptu. Nobilis enim ille Iſraelitarum Dux Samſon (nimirum vt in veteri lege extaret aliqua vmbra, cuius res in noua pòſt manifeſtaretur) aliquot vulpium caudas, quaſi vno vinculo conſtrinxit, capita illarum diſſoluta reliquit, dimiſitq; ſic vulpes cauda ligatas, capitibus diſiunctas in ſegetem Philiſtæorum, vt hanc incenderent. In hoc vulpium facto imaginem hæreſeos gnauiter expreſſam, ſapientiſsimi viri iam olim animaduerterunt,

Ambro-

Ambrosius, Augustinus, & plerique alij Patres sancti. Nam quēadmodum vulpes capitibus diuersæ, alia aliô tēdebat, & omnes tamen caudis in vnum colligatis, quasi ad incendiū segetis cōspirasse videbantur: ita longo rerum vsu compertum est sectarios domi discordes esse solere, & in multa ducum diuisos capita, foris caudas viresq; coniungere ad oppugnationem Ecclesiæ. Sed hæc vmbratilis imago veteris testamenti est: rem videamus in nouo. Etenim quod typo vulpium præfigurauerat Samson, id re ipsa Ioannes Apostolus expressit in illa bestia: quæ diuersa habuit multaq;

capita, caudam vnam: capita sibi aduersa erant, cauda adeò concors, vt hæc tertiam è cœlo partem stellarum detrahere potuerit. Quid hæc bestia habet diuersum à Philistæis vulpibus, nisi quòd hæ vmbram hæreseos expresserint, illa hæresiarchiam omnium sectarum? Nunquid secus hæretici vllo tempore? In cunctis, inquit Augustinus, alijs dogmatibus semper discordes sunt hæretici, in hoc solo concordes, vt vnanimes oppugnēt Ecclesiam. Cum suades socijs syncretismum Philippe, quid effectum studes? Profectò nihil aliud, quàm in Lutherana bestia vt diuersa capita

pita maneant dissoluta, cauda colligetur, ac sit vna, quæ suam cœlo tertiam partem syderum possit auellere. An non iam penè effecistis, quod bestia fecisse dicitur? An non tertiam orbi christiano partem, præsertim in Europa, detraxistis? Demosthenis verò dictum quàm alienum sit à syncretismo isto tuo, ipsemet passim abundè edisseruit: siquidem non hortatur suos ciues ad fucatam aliquam concordiæ speciem, sed iubet exemplo suo, ex animo omnes simultates, inimicitiarumq; fibras excidere. Tantum abfuit præstantis viri atq; honesti consilium à peruerso syncretismo,

quantum distat vera pax à simulatis inducijs. AEgrè fers, mihiq; succenses vehementer, quòd confessionem vestram Pandoram Hesiodi nominaui: ac succenses prorsus iniquè: etenim cum syncretismus is, quem socijs suasisti, ad viuũ exprimat (sicut ipse vides) Bestiã Draconis: quid restabat aliud, quin, sicuti meretricem illam audimus bestiæ insidentem, propinare ex aureo poculo venenum gentibus: ita etiam immani isti bestiæ tuæ, hoc est, syncretismo insideat vestra Confessio Pandora, propinetq; cũctis mortalibus ex Apologiæ pixide multo lætalius venenũ,

quàm

quàm vllum cogitari posſit, quippe omnis generis hæreſes, ſchiſmata, ſeditiones, animarum interitus, rerum publicarum euerſiones. Nec exiſtimes velim, dum vel hæc ſcribo, vel antilogias veſtras colligo, me id agere, vt veſtras vobis exprobrem calamitates: è quibus ſcio veritatem doctrinæ nos metiri non oportere. Proinde nolim putes me adeò eſſe petulantis linguæ, animiq; ab omni humanitate alieni, vt ex tuis, aliorumúe miſerijs mea vener gaudia. Nec fuerat opus mihi ſcelera noſtrorum hominum obijcere, cũ ſcias me de vitijs Cleri moribusq; non

agere censorem, tametsi neutrius partis delicta probem, cum hæc ad abusum rerum pertineant, res ipsæ ad stabilitatem doctrinæ. Admodum longi temporis præscriptionem opponis admonitionibus nostris, cum iactas te doctrinam iam triginta annos natam profiteri, quasi illa hoc temporis spatio Catholicæ veritatis ius titulumq; adepta, possessionem abundè præscripserit, in litem vocari non debeat. Nonne te pudet tam puerilis, tam variæ, stultæq; iactantiæ? Ea demum legitimam ætatem ferre disciplina dicitur, ac est, vt Clementis verbo vtar, πολιὸν μάθημα: cuius pos-

sessio

sessio potest ad omnes prouincias vniuersi Christiani orbis extendi: cuius ætas potest reuolui, continuata, nec vsquam interrupta, tot seculorum serie ac successione, ad ipsos apostolos ad discipulos Christi. Quanto igitur tu Ecclesiam ineptius post annos mille & quingentos mones, quam ego te post annos triginta? Quæris autẽ quid reprehendam in Confessione vestra? Num dubium id est? quasi verò in meretrice Pandora & in eius pixide seu poculo abominationis, non sit quod meritò queat reprehendi? Sedet confessionaria ista Pandora in dorso syncretizantis

bestiæ. Quid autem facit? Capita sectarij regni vestri disiungit, caudam colligat, eamq; in cœli stellas extendit, hoc est, in Ecclesiam: quippe fœminam illam duodecim stellis ornatam, solisq; amictam splendore, vastat, in eremum expellit, infantemq; eius, quem præsentem in Eucharistia adorabamus, abigit: in cælo illum, non in terris, esse vult. Quid præterea? Tantum effudit ex pixide, aureoq; illo suo poculo veneni, quantum satis fuit ad exitialem Christiani orbis pestem, atque luem Lutheranæ hæreseos. Quæ dum sacerdotium non fert amplius, Ecclesiam planè, fœminamq; illam, de qua ait Ioan-

nes, in desertum propellit ex Germania: dumq; Christū filium Mariæ non vult esse in eucharistia, sed alligat illum ad certum quendam cœli locum: dumq; tollit incruentum illud Ecclesiæ matris sacrificium, quid hoc aliud est, quã quod Ioannes prædixit, infanẽt coronatæ fœminæ prorsus ablegare? Sed obiter hæc de syncretismo vestro: quem alij forsitan penitius rimabuntur. Aliquanto prolixius de priore parte libelli, quàm volebam: de altera agam contractius: nec enim ipsa causa hoc postulat, cum in meo libro nihil actum à me sit, nisi dogmata vt recitarẽ vestra.

Nam

Nam vera illa sint, an falsa, tum non disputabam, cùm ea colligerem, satis esse ratus, certò nobis vt constaret in colloquio, quid de vna quaq; parte controuersæ religionis vos sentiretis. Sed eum libelli nostri scopum tu præteruectus Philippe, ne recta via lector, sed ambagibus duceretur, tria genera disputationum proponis: primum de persona mea: secundum de controuersis dogmatibus: tertium de antilogijs vestris. Sed cum priora duo ad statum libelli mei non pertineant, omittam hæc, & in tertio genere, quod obiecisti, criminans me falsæ allegationis, ad id iam tibi respondebo.

debo. Nam in meam personã, quæ tu cæteriq; tui similes cõtumeliæ causa confingitis, talia sunt, vt nemo vestrûm in faciem ea mihi audeat dicere. Acquiesco igitur his, quæ suprà ad defensionem famæ meæ dixi: quoad mihi detur facultas coràm agendi vobiscum: quod semel dictum scitote, ne dicendum sit sæpius. Quod ad ipsa dogmata, quæ passim aspersisti libello tuo Melanthon, attinet, alibi, si vixero, adiuuante Deo, agam tecum, inprimisq; aduersus seditiosum istud tuum scriptum disputaturus, quod nuper inuulgasti contra articulos Bauaricæ visitationis. Nunc verò

de his,

de his, quæ libri mei, & reſponſionis tuæ propria ſunt, dicam non nihil. Principio, negas vos de matrimonio hæc verba vel ſcripſiſſe vel dixiſſe vſpiam, Matrimonium non eſſe ſacramentũ diuinitus inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inuentum, ignorantia tam rei, quàm verbi abductis. Negas, inquam, hoc dogma (qui nefarium eſſe vides) & hæc verba eſſe veſtra, iratusq; exclamas, Dic ſceletate ſycophanta, vbi vnquam ab vllo in noſtris eccleſijs dictũ ſit, matrimonium ab hominibus inuentum eſſe. Ita ne tu feroculus es Philippe? Collige te, & da locũ iræ; fulmine enim

enim isto tuo me propemodum ex-
territum de gradu deieceras. Sed
ne tumultuare, pedem siste, inspici-
amusq; secundum Latinũ tomum
Lutheri, cui tu præfationem præfi-
xisti, videamusq; librũ de Captiui-
tate Babylonica inscriptũ, in titulo
de matrimonio, fol. 87. Ecquid
non ista verba, qua tu negas esse
Lutheri, ego affirmo, sic leguntur:
Sit ergo matrimoniũ figura Chri-
sti & Ecclesiæ, sacramentum au-
tem non diuinitus institutum, sed
ab hominibus in Ecclesia inuen-
tum, ignorantia tam rei, quàm
verbi abductis. De re, inquis, non
de nomine est contentio. Quid ais
Philippe:

Philippe: Ecquid non ipse Lutherus tam rei dicit, quàm verbi: Atqui sic illum sensisse, sic docuisse, palam est ea in concione, quã inscripsit vom Ehelichen leben: &, quæ publice edita est, Anno M. D. XXII. Sic enim habet A tertium.

Ich hab also gesagt: Wenn ein tüchtig weib zur Ehe/ein vntüchtigen Mann zur Ehe vberkeme/ vnd künde doch keinen andern offentlich nemen/vnd wolt auch nit gerne wider ehre thun / seytemal der Babst hie vil zeugen vnd wesens on vrsache fordert. Sol sie zu jhrem Mann also sagen: Sihe lieber Mañ/du kanst mein nit schuldig werden / vnnd hast mich vmb mein jungen leib betrogen/dartzu in fahr der ehre vnd Seelen seligkeyt bracht/ vnd ist vor Gott kain

Ehe/

Ehe/zwischen vns beydē/vergūn-
ne mir das ich mit deinem Bruder
oder nechsten freund ein heimliche
Ehe hab/vñ du den namen habst/
auff das dein gut nicht an frembde
Erben komme/vnd las dich wide-
rumb willigklich betriegen durch
mich/wie du mich on meinen wil-
len betrogen hast. Ich hab weiter
gesagt/das der Mann schuldig ist/
solchs zuuerwilligen/vnnd jhr die
Ehlich pflicht vnd Kinder zuuer-
schaffen. Will er das nit thū/sol sie
heimlich von jm lauffen/in ein an-
der Land/vñ daselbs freyen. Sol-
lichen rath hab ich zu der zeit ge-
ben/do ich noch schew war. Aber
jetzo wolt ich wol bas darein ra-
then/vnd eim solchen Mann oder
Weib/der ein Weib also auffs nar
renseyl fürt/wol bas in die wollen
greiffen/desselben gleichen auch ei
nem Weib/wiewol das seltzamer
ist dañ mit Mannen. Es gilt nicht

seinen nechsten inn solchen grossen hohen sachen/die leib/ gut / ehre vnd seligkeit betreffen/so leichtfertig mit der nasen vmbfüren. Man můst es jhn redlich zalen heissen/ das ist so vil geredt / sie sol weidlich huren vnnd Ehebrechen. Ac iterum B quarto: Man findt wol so ein halsstarrig Weib / das seinen kopf auffsetzt/ vnd solt der Mann zehen mal in vnkeuscheit fallen/ so fragt sie nicht darnach. Die ist zeit das der Mañ sag / wilt du nit/ so wil ein andere: wil Fraw nicht so kumb die Magd / so doch das der Mann jr zuuor das zwey oder dreymal sagt/vnd warnet sie / vnd lasst es für andere leut kommen/ das man offentlich jre halsstarrigkeit wisse / vnnd vor der Gemein straffe / wil sie dann nicht / so las sie von dir/vnd las dir ein Ester geben/ vnd die Vasti faren / wie der König Asuerus thet.

Hoc

Hoc dogma cum Lutheri proprium sit, cumq; tu approbaris commendatione tua, vtri quæso nostrûm rectius conuenit exclamare, O scelerate Syncophanta: tibi ne, qui sceleratam hæresin approbasti, disseminasti, docuisti antea semper, vicissimq; nunc negasti doceri in vestris Ecclesijs? An potius mihi, qui exitiosum istud virus vestrum retexi atque patefeci incautis hominibus? Nec est, quòd hoc in loco cauilleris, coniuncta à me diuelli, diuulsa coniũgi, vel demptum quippiam, quod adesse oportuerit, vel additum, quod abesse. At dices, Lutheri istas esse hyperbolas,

non doctrinam tuam. Haud nos fefelleris Melanthon: tuum iſtud eſt, aut certè tibi cum Luthero cõmune. Nunquid non in tuis eſt in Paulum annotationibus, cum ita ſcribis in 1. Cor. 11? Duo, inquis, ſunt omnino ſigna ſacramentalia, Baptiſmus & Euchariſtia. Reliqua ſacramenta, quæ numerantur, cõmenta ſunt hominum. Rogas adhuc me, vbi nam illud dictum ſit in Eccleſijs veſtris? Aio in VVuittebergenſi academia, in VVittenbergẽſi Eccleſia, in mille alijs locis Germaniæ, & dictum eſſe & decantatum, & incultatum non ſemel, ſed ſæpiſsimè. Quo authore? Primum Mar-

Martino Luthero, deinde Philippo Melanthone, deniq; horum patrum subsecutis filijs. Nonne mihi Melanthon, hîc abs te iusta data causa esset diligentius discutiendi tua? Esset crede mihi: sed tuo parcam nunc honori. Illud autem silentio non possum præterire, quin te rogem vicissim, cur, cum antea nullum esse sacramentum nisi solam fidem, duo autem duntaxat signa sacramentalia posueris, iam in vltima locorum tuorum editione ponas quatuor? Quid vero? Nihili censes referre, siue duo des, cum debeas quatuor: siue quatuor, cum duo tantum? Adeò ne res leuicula

est, vel comminisci sacramenta, quæ non sunt: vel quæ sunt, respuere? Itanè uobis licitum est, quemadmodum mercatoribus, calculos cõmutare, vt, qui modò decẽ valuit iam valeat aut centum, aut vnũ? & contrà, qui centum, valeat decem? Ita prorsus. Illyricani enim & Gehennenses duo receperunt abs te, Lipsenses tria, Vvitteberga quatuor ex locis tuis habentur. Et quamuis tibi tria sint quatuor, & hæc vicissim duo: illis tamen non perinde videtur, quando pugnant inter sese, non tanquam res olei ista sit & palestræ, sed capitis instar: quemadmodũ criminationes vestræ

publicè

publicè decertantes, nõ dam testifi-
cãtur. De qua dissensione vestra bel
lè quidam nuper, at dolenter tamen
iocatus: cum rogatus esset, cur non
haberentur septem sacramenta in
Lutheranicis Ecclesijs: imò haberi
septem respondit, & duo insuper.
Vvitebergæ enim esse quatuor, Li-
psiæ tria, duo Magdeburgi: quæ
in numerum collecta, nouem effi-
ciant. Ita iam vestrates cœperunt nõ
obscurè præ se ferre, quàm regnum
istud vestrum non sperent fore diu-
turnum. Alterum caput, quod tu
negas, ego asseuero, tuum est, cum
scripsi adeò vos nolle Ecclesiam
alligatam ordinariæ successioni,

vt omnino deleatis vocem (Catholica) in descriptione Ecclesiæ. Hoc cum dixi, locos, vbi id factum à vobis, allegaui. Nec ego primus istius flagitiosi criminis vos arguo: fecerunt alij ante me complures. In ipsa Augustana Confessione, Ecclesiam cum tu definis, vocem (Catholica) excluisti penitus: in Apologia malitiosè deprauasti, cum ea de re esses admonitus: contendis enim non ad gentes pertinere, sed ad aliquot homines in orbe sparsos: scilicet, quando Ecclesia sit cœtus inuisibilis, vt alibi docuisti, eam doces, non ad successionem ordinarij sacerdotij, quod visibile est,

allega-

allegatam esse, sed ad confusionem, hinc inde sparsæ multitudinis. An non hoc est, & re, & nomine, vocem (Catholica) ab Ecclesia tollere? In locis quidem communibus fusè de Ecclesia prolixéq; disputas: num vllam eius verbi facis mentionem? Imò cum ordinariam successionem in episcopis continuandam negas, quid aliud negas, obsecro, quam velle, ne Ecclesia sit Catholica? Quid dicam de libello, quem ex professo de Ecclesia scripsisti? quid de libro examinis vestri? vtrobiq; sanè Ecclesiam ita describis, vt neutrobiq; vllam velis extare memoriam huius verbi (Ca-

tholica). Hoc tuum exemplum cõplures alij secuti in recitatione symboli, præsertim germanica, pro Catholica, reponunt, Sancta & Christiana. Nimirũ cum huc omnes conatus tuos dirigas, omnesq; intẽdas vires, ne aliquando tibi necesse sit, subijci Catholici consensus iudicio: cumq; istam mentem tuam sæpe aliâs, tum nuper in tuo aduersum me libello abundè declarasti: quid aliud verbo te facere, quàm re, quod facis, dicere possumus? Inepta autem est ista tua ratiocinatio: Petrus Antiochiæ episcopus non errauit: ergo nec Samosatenus errat. Cur non potius à toto ad partem, quam

à parte

à parte ad totum argumentum duxisti ; Ordinaria successio episcoporum, quæ potest doctrinam, quã profitetur, cõtinuata serie reuoluere vsq; ad Apostolũ Petrum, nõ errat ; Paulus verò Samosatenus nõ potuit demõstrare se hoc docere, quod Petri successores episcopi, continuata serie docuerunt ; errauit igitur. Nec profectò certius aliquid potest, vel ad agnitionem veri, vel ad refutationem falsi, documentũ proferri, quam si doctrina, cuius quæris certitudinem, ostẽdatur esse eiusce modi, vt queat perpetuo regressu eadem fuisse in singulis successoribꝰ & vniuersis, quæ fuerat in primo

Apo-

Apostolo, à quo exordium cæpit, demonstrari. Nec idcirco successio Antiochenæ Ecclesiæ interrupta dici potest, quod Paulus Samosatenus diuersum de filio Dei tradidit, quàm vel ab antecessoribus acceperat, vel successores ad posteritatem propagauerunt: cum eo ipso, quòd doctrinâ perpetua successione traditam in Antiochena Ecclesia, aut non amplexus est, aut non tenuit constanter, in errorem lapsus sit, & in hæresin: haud eò ruiturus, si seriem traditæ acceptæq; doctrinæ incorruptam seruasset. Tertium, quod contra libellum meum insiciaris, caput est, de Germanica versione

sione Bibliorum. De qua sic me accusas, veluti ego omnem sustulerim vertendi potestatem, cum nec verbum hac de re sim effatus. Nam verti ne debeant S. Biblia, an non, in quæstionem non traxi, sed prauam Lutheri translationem esse dixi, cùm huic ille multa addiderit de suo, multa detraxerit de alieno, ac ita demum reddiderit sacros illos codices, vt discrepent plurimum à fonte suo. Proinde quo studio Lutherus S. Biblia, & quo fine verterit, significabam: ne, cum ipsius Lutheri comites & discipuli, de versionis Luthericæ veritate vehementer ambigant, atq; disceptent

inter

inter sese, nobis vulgi stultitia aliquid præiudicaret: quæ eam videtur adepta authoritatem, vt qui Lutheri non veneretur versionem nouam, veterem contemnat, parũ existimetur Christianus. Cur autem illud seducti populi iudicium repudiandũ duxerim, in libro meo causas non reddidi, hîc reddam obiter. Et quanquàm multæ aliorum eadem hac de re extant notationes, nõminus ad certitudinem veritatis cognoscendæ, quã ad vitandum erroris delectũ perquàm vtiles: vnum tamen ego, aut alterum huc proferã exemplum, vt ex vno agnoscantur reliqua. Diuus Paulꝰ ad Romanos scribit,

scribit, διὰ γὰρ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας.
Hoc ita vertit interpres Latinus: Per legem enim cognitio peccati, verbum verbo exprimens. Lutherus verò Germanicè sic: Denn durch das Gesetz kompt nur erkentnus der Sünden. Addidit is interpres sacro textui hanc voculã, Nur/hoc est, solummodo, vel, non nisi, vt huius vocis adiectione significationẽ sensus ex dimidia parte mutilaret. Nam tametsi antè penitus, quàm Antinomi prodissent, legem in suo euangelio nullam ferret Lutherus: postea tamen odio Islebij, vel solummodo ante iustificationem, vt ostendat peccatum,

dixit

dixit legem requiri, non quia sint opera legis necessaria ad salutem, sed quia vt lex peccatum monstret, eam non prorsus abijci, vt Antinomi volebãt, oportere. Docuit Lutherus, opera legis inimica esse euangelio, & adeò etiam, vt Christianum ab omni legis obligatione liberum renunciaret, legemq; ipsam impijs debere, non Christianis proponi. Ita Lutherus nusquam non & dixit & scripsit initio. Arripuit hoc Islebius, & quod confusius à Præceptore narratum viderat, arctius sibi explicandum cum sumpsisset, piguit magistrum se corrigi à discipulo, maluitq; alterum legis v-

sum,

sum, vt esset peccati agnitio, recipere, quàm vtrumque (sicut antè fecerat) in gratiam discipuli, repudiasse videri. Huic igitur stomacho Lutheri Bibliorum versionem seruire oportebat. Nam vbi hic Propheta posteriorē legis vsum, quòd opera bona saluti hominis non sint necessaria, aboleuisset, vidit, vt priorem retineret, deleret posteriorem, plurimum ponderis huic opinioni suæ accessurum, si sacræ scripturæ textus dicere videretur, Per legem enim, Non nisi cognitio peccati. At quò euasit hæc istius adulterinæ vocis, Nur/accesio? Certè geminum peperit errorem, in posteriore

parte Manichæum, qui omnia legis opera homini Christiano ademit, in priore Pelagianum, qui legem non alia de causa datam censuit, nisi vt sit cognitio peccati. Vtrumq; errorem Illyricus defendit: Lutherus & tu, priorem: cui, nemo nõ videt istã Lutheri peruersam versionẽ egregiè patrocinari. In epistolis Pauli passim, vbi Græcus textus habet, δικαιοσύνη θεοῦ, & Latinus, Iustitia Dei, ibi Lutherus vertit vbiq; ferè, Die gerechtigkeit die für Got gilt. Nunquid istud augmentũ, Die für Gott gilt/non mutat sensum scripturæ? Si idem, frustra attexitur: si diuersum, flagitiosè deprauat scripturæ.

scripturæ sensum. Quia enim negas vllam esse Dei iustitiam, quæ homini inhæreat, quæq; Dei possit iudicio opponi; itaq; cū Paulus dicit, vt simus iustitia DEI in Christo, hanc dictionem (Iustitia Dei) affirmatis imputatiuam quandam esse iustitiam, quæ sit in Christo extra hominē, huic solummodo imputata, illi propriè inhærēs. Proinde cum ita vobis placuisset, hominem non re, sed verbo iustum fieri, opportuna vobis fuit ista ad textū scripturæ facta adiectio, Die für Gott gilt. At enim quanta hæresis inde consecuta Christianū orbē perturbarit, referre prolixum esset, in

libello meo capita perstrinxi. Apud eundem Paulum legimus, cū dicit, μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν, hoc est, Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi. Lutherus sic transtulit: Haben wir auch nit macht eine Schwester zum Weib mit vmbher zuführen? Nec in Latino, nec in Græco textu hæc particula, Zum / significata exprimitur. Verùm siquidem nobis peculiare studium fuit, ecclesiasticis viris vxores copulare, auferre vitam cælibem, poterat non parum argumenti huic rei afferre, si generale vocabulum, Mulier, restringeretur

tur ad angustius verbum, vxor, zum Weibe/ germanica phrasi: vt significaretur, cuilibet sacerdotum licere mulierem vxorem circumducere, non mulierem ministram. Eundem Pauli locum sic etiam Iouiniani hæretici quondam, vt nunc Lutherani, verterunt, scilicet, ne sacerdotes sint cœlibes. Sed grauiter hic error taxatur à D. Augusto in libro de opera monachorum. Hoc quidem non intelligentes, inquit, non sororem mulierem, cum ille diceret, Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sed vxorem interpretati sunt. Fefellit eos verbi Græci ambi-

ci ambiguitas, quod & vxor & mulier eodem verbo Græco dicitur: quanquã hoc ita posuerit Apostolo vt falli nõ debuerint, quia neq; mulierem tantũmodo ait, sed sororem mulierem: neq; ducendi, sed circũducendi: veruntamen alios interpretes nõ fefellit hæc ambiguitas, & mulierem, non vxorẽ, interpretati sunt. Eiusdem generis est in epistola ad Ephesios, cũ ita scribit Apostolus, διὰ τοῦτο ἀναλάβατε τὴν πανοπλίαν τοῦ θεοῦ ἵνα δυνηθῆτε ἀντιστῆναι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ, καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι. Hoc antiqua versio sic reddidit. Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare, Luthe-

rus

rus autem, Vmb des willen/ so er/ greiffet den harnisch Gottes/ auff das jhr widerstehen kũnd an dem bösen tage/ vñ in alle ewerm thun bestehen müget. An non dimidia ex parte deprauat sententiam D. Pauli Lutherus, cum expungit in sacro textu participiũ καταργασάμενοι? Longè enim aliud est, stare quempiam posse, aliud, posse stare perfectum. Sed necessariam, & planè necessariam dictionem rasit è sancto codice Lutherus. Cum enim is Marcionis Manichæorumq; disciplinam consectatus, persuasisset populo, peccatum esse rem quandam, eamq; adeo fixè, adeo tenaciter humanæ naturæ inhærere, vt in hac

vita nec vlla vel baptiſmatis vel aliorum ſacramentorũ virtute amoueri poſsit, cepit etiam docere, quoniam ſemper in peccatis volutent homines, legis opera ad ſalutem non requiri, cum lex factu impoſsibilis ſit, nec vllam Chriſtiano viatori perfectionem poſſe obtingere. Huic igitur Marcionis & Manichæorum veſanæ hæreſi intellexit Lutherus egregium aliquod parari patrocinium, ſi Germanica ipſius verſio in ſacris ſcripturis paſsim obliteraret perfectionis vocabulum. At vero eſt is error non ſolum D. Hieronymi & Auguſtini, contra Pelagianos ſcribentium, ſed aliquot

etiam

etiam conciliorum grauissima cen-
sura, imo expresso Dei verbo dam-
natus. Quid enim D. Paulus? Nõ
quod iam perfectus sum, inquit, sed
persequor, vt apprehendam. Et
mox. Quicunq; igitur perfecti su-
mus, hoc sapiamus. Cunctarũ sy-
nodorũ authoritas, & vnanimis S.
Patrum consensio affirmat duo esse
perfectionis genera, alteram futuræ
cœlestis patriæ, alteram præsentis
militiæ: in hoc genere perfectũ es-
se, qui possit cum Paulo dicere.
Nihil mihi conscius sum, sed in hoc
non sum iustificatus: in illo, vt, cum
apparuerit, quod erimus similes illi
simus, quoniam videbimus eum,

ſicuti eſt. Priorem perfectionis modum Marcion negauit, Manichæus reiecit, deleuit Lutherus in animis hominum penitus. Tanto itaq; ſceleratius hic adulterinus interpres vocabulum, Perfecti, eliſit in S. bibliſ, quanto concinnius vertit magnificus vir D. Georgius Gengerus Ferdinando Cæſari cõſiliorum princeps. Hic enim ille in ſuo breuiario. **Darumb ergreifft dē Darniſch Gottes/das jhr an dem bōſen tag widerſtehn kündt/vnnd in allen dingen/als die volkomen beſtehn mügt.** Germana hæc translatio eſt, illa Lutheri ſpuria, manca, pernicioſa. Iliada poſſem ſimilium corruptelarum ex verſione Lutheri pro-

producere, si ita tempus postularet. Eaq; fuit causa Melanthon, quòd ego Lutheri Biblia sic reddita dixi, vt nusquam non fabulæ seruirent vestræ. Addidi præterea, Tigurinos theologos in præfatione editionis suæ negare, homines obligari debere ad vllam certam bibliorum versionem: cum vos, Lipsenses q; theologi decreuistis contrà, solam Lutheri interpretationem proponi in Ecclesijs vestris debere, aliam nõ debere. Quamobrẽ mihi decretum Tridentini concilij ostendi vehemẽter probari, veterem editionem retinendam esse, nouis non assentiendum temerè. Magnum ne hoc,

& tam

& tam atrox crimen fuit, vt expiari non posſit, niſi iuſſu tuo, me mulieres veſtræ cœno obruerent. Verùm tua iſthæc rhetorica Melanthon, non oleum olet, vt oratio Demoſthenis, ſed oletum, vt Glauciæ Romani. Hoc certaminis genere lubens patior me abs te vinci: vt paria queam, non ſanè connitor admodum. Hoc ego ſcripto tuo Melanthon, quod contra libellum meũ edidiſti, reſpõdendum putaui, confuſè quidem, at verè tamen, atq; modeſtè: confuſè aũt, quia adeò ἀμέθοδον eſt, & turbata oratio tua, adeoq; materies, quæ natura ſua cohærebat, diſtracta atq; ipſa rerum

ſeries

ſeries hiulca, varijsq; interpolata animi motibus, vt non tam ductum aliquem Ciceronis, quàm volatum papilionis videare ſecutus: idq; ſiue de induſtria feceris, ſiue animo, dum iſthæc ſcriberes, peregrinante, tu ſcis, ego non inquiro. Meo quidem iudicio plus lucis negotio attuliſſes, mihi minus laboris, ſi ordinem, qui in libello meo eſt, tenuiſſes, ne ignoraret lector, quid tandem reſpondiſſes ſolidè, quæ agnoſceres eſſe tua, quæ aliena: & tua quali in loco habenda, num vera, quia defendas, num falſa, quia retractes: ac denique vt lector diſertè poſsit, de ſingulis quid ſentias, diſſentiaue, quid

úe, quid probes, aut improbes, euidenter certoq; ſtatuere. Errata tu quidem nonnulla agnoſcere tua videris, ſed quæ nam illa ſint, quoniam tu retices callidè, lector diuinare non poteſt. Quamobrem, ſi ſic decreuiſti, vt appares, velle mecum deinceps concertare: te rogo hortorq; expreſſè vt agas & nominatim, quid in qualibet re propoſita definitè ſentias: ne inter nubes nebulonum inſtar, & quaſi Andabatarum more dimicemus, tu in genere eminus laceſſendo, & ego fruſtra punctim certando, vterq; quaſi colludere exiſtimemur ab alijs. Capita errorum veſtrorũ diſtinctè propo-

posui, & quæ sint in dogmatibus vestris antilogiæ ascripsi, & vtrobique, quibus in libris vestris hæ antilogiæ, & errores reperiantur, notaui nominatim: atq; hæc quidem omnia non minus verè, quam modestè. Non solùm enim quia boni viri non est, alienis dictis, quæ vera sunt, detrahere, confingere, quæ falsa: verumetiam quia diuina lex vetat, ne dicas falsum testimonium: quod si in ciuilibus negotijs flagitiosum est, certè in diuinis fuerit flagitiosissimum.

RESPON-

RESPONSIO AD TERGIVERSATIONEM SVENCKFELDIANI LONGINI.

ITS mos fuit quondam, & est adhuc, eritq; hæreticorum semper, falsa pro veris asserere: & quod heri affirmauerint, negare id postridie. Ita Ephiphanius de Ario scribit: ita de Pelagio Augustinus: ita & ipse Diuus Athanasius in decretis Ephesinæ synodi de Arianis. Sunt homines, inquit, vt Iacobus dixit, duplici animo, instabiles in omnibus vijs suis, nec eandem habentes sententiam, sed nunc in hanc, nunc in illam sese vertentes: & nunc quidem probantes, quod

quod dicunt, mox verò vituperantes, quod paulò antè laudauerant. Hoc, vt Pastor ille dixit, ex Diabolo prognatum est, per quod citius caupones agnosces esse, quàm doctores. Paucis annis antè C. Suencfeldius, fidem, esse particulam seu scintillam diuinæ essentiæ, dixerat: Christi humanam naturam esse Deum simpliciter, quia Deo in omnibus æqualis, in nullis inferior. Iam idem discipuli eius improbant, aliud prætendunt, negantq; ita sentire præceptorem suum. At constantiam vide. Suenckfeldius ante annos octo, aut circiter ita scripsit in libro de duplici statu

Christi, articulo 17. Iuxta priorem quidem statum caro Christi fuit in corporali proprietate, & humana infirmitate & ignominia. Iuxta alterum verò statum, humana eius infirmitas, in virtutem Dei est permutata. Ac iterum in 18. art. In priori quidem statu, in Christo humana natura carnis, in inæqualitate quadam respectu diuinæ naturæ verbi (quanquàm in personali vnitate) adhuc stetit, quando etiam filius propter exinanitionem, passibilitatem & mortalitatem, adhuc minor patre extitit, de quo Ioannes ait: Pater maior me est. In posteriori verò statu,

nulla

nulla planè est amplius distantia seu inæqualitas naturarum in Christo. Nam est filius, etiam iuxta carnem suam, patri in honore, gloria, & vnitate diuinæ naturæ, per omnia planè totus coequalis, ac modis omnibus similis, Hæbræorum 1. Qui est splendor gloriæ & character substantiæ eius. Hoc ego doctrinæ genus Eutychianum esse dixi in libello meo, negat Longinus: vtri igitur credendum erit? Nolim autem mihi haberi fidem, nisi sic esse constet, iudice Ecclesia. Legimus in prima actione Synodi Chalcedonensis; Eutyches Presbyter dixit,

Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum ante adunationē: post verò adunationem, vnam naturam esse confiteor. Ita Eutyches. Deinde Theodorus Eutychetis discipulus in Constantinopolitana 6. Synodo, actione 13. Habemus vtique, inquit, ex his manifestis, quæ Dei sunt omnia, quæ de Christo audiuimus & credimus, siue diuinæ naturæ cōgruentia, siue humanæ: & ideo vna operatio est tam Deitatis eius, quàm humanitatis. Antequā Christus cōceptus esset & natus homo, duas fuisse naturas, docuit Eutyches: postea verò quam humanam naturā assumpsisset diuina,

tuina, ex vtraque vnam factam esse naturam, altera in alteram transmutata. Qua ex opinione Theodorus hæreticus consequi vidit, quòd, si ea firma esset, & hanc stare oporteat, eandem esse actionem vtriusq; naturæ, cum vtraq; facta sit vna & eadem. An aliud Suenckfeldius? Temporis aliquam facit discretionem, mutationis nullam. Nam Eutyches illico hîc in terris eam esse factam in naturis Christi metamorphosin statuebat: Suenckfeldius mox vbi in cœlum ascendit: vter altero rectius? Prorsus vterq; hæreticè, catholicè neuter. Caro Christi, inquit, fuit in corporali

proprietate. In quâ autem nunc est? Humana eius infirmitas (inquit) in Dei virtutem mutata est. Quæ porrò ista infirmitas? Humana natura. Quæ item Dei virtus? In libro, quem de euangelio Christi inscripsit, asserit fidem & iustitiam, cæteraq; dona Dei, esse Deum ipsum. Et cum dicit, nullam esse inter humanam Christi naturam & diuinam, distantiam, nullam inæqualitatem, sed vtramq; alterutri æqualem simpliciter ac Deum omnino: quæso cum hoc dicit Suencfeldius, quid sibi vult? Profectò aut hoc vult (si vnũ credit esse Deũ) ex duabus Christi naturis

vnam

vnam factã essentiam. Iam aũt, quũ duæ discretæ naturæ possunt vna fieri, nisi alterutra sit in alterã transmutata? Aut si hoc non vult, volet, credo, vtramq; naturam Christi mansisse integram, & per sese substantiam quandã, & eiusmodi quidem, quæ vtraq; sit Deus. Iam iterum quæro, si vtraq; Christi naturæ Deus est, an non necessariò sequi videatur, duos deos poni quandoquidem neutra putatam esse vna eademque essentia & natura? Nam si duæ sunt diuinæ essentiæ, quarum neutra eadem est, sed vtraq; diuersa, & vtralibet tamen verè ac propriè Deus, duos esse Deos, fa-

tendum erit. Aut deniq; si neque hoc vult, illud ipsum velle, necesse est, quippe, patrem genuisse duos filios, alterum ab æterno, alterum sub finem sæculi, quorum vterque Deo Patri ὁμοούσιος sit, & natura per omnia æqualis. Quin vt & nunc quæram oportet, si statuat Suencfeldius esse duas in Christo diuinas naturas, quarum neutra sit in alteram transmutata, sed vtralibet per se sit, existatq; Deus, an non quaternitatem ponat in diuina essentia? O sacrilegam licentiam gentis nostræ. Duos esse Deos Manichæi fingebant, multos ethnici: sed vnum esse tantum scriptura S.

nos

nos docuit. Alius non est Deus, nisi vnus, inquit D. Paulus. Quatuor esse hypostasês asseruit Abbas Ioachimus, at esse tres diuinæ naturæ hypostasês tantum, scriptura sacra abundè expressit. Filius meus es tu, ego hodie genui te, dicit æternus Pater ad Filium æternum, & Spiritus S. à Patre procedit, ipse Dominus dixit. Contra mutationẽ Eutychetis ita quoq; per Malachiam ipse de se Deus: Ego Iehoua, non mutor. Quo modo autem non mutatur, si humana eius natura cœpit esse tempore Augusti Cæsaris, cum antè non fuerit? An potest, non ens, vt fiat ens, fieri

absq; motu & mutatione temporis? An humana natura Christi, quam in hac vita dicit Suencfeldius esse medium quiddam inter Creatorem & creaturam, potest diuina natura fieri absq; mutatione? Certè aut hanc in illam transmutari necesse fuit, sicut Dimæritæ voluerunt: aut illam in hanc, vt Eutychiani: nam vt argentum maneat argentū, cum propriè factum est aurum, est impossibile: nisi tropica locutione quadam, vt thesi ac putatiuè argentum appelletur, quod iam natura sua sit aurum. Secundum philosophiam, inquis, rectè ista habent; secundum Dei verbum, non

item.

item. Quis id dicit? Suencfeldius. Qua authoritate est verum? Suencfeldij. O præclarum theologum, qui veræ, non inanis, philosophiæ doctrinam, contrariam esse docet doctrinæ euangelij: cum hæc idcirco data est, vt illam instauret, non vt peruertat: vt hæc sit Sara in domo Dei & domina, illa Agar & ancilla: altera diuinæ gratiæ rerumq; cœlestium dispensatrix, altera rerum naturalium: vtraq; autem in eadem œconomia fidelis operatrix communis salutis. Eam Eutychetis hæresin his verbis dãnauit, explositq; Chalcidonensis Synodus, actiõe prima: Cõfitemur itaq;

itaq; Dominum nostrum Iesum Christum, Filium Dei vnigenitum, Deum perfectum, & hominem perfectum, ex anima rationali & corpore, ante sæcula quidem ex patre natum secundū diuinitatem, in vltimis autem diebus eundem propter nos, & propter nostram salutem, de Maria virgine secundum humanitatem, consubstantialem Patri secundum diuinitatem, & consubstantialem nobis, secundum humanitatem. Duarum enim naturarum vnitio facta est, non transmutatio. Nec est effugium, hîc fingere, Synodum loqui de priori statu Christi, de vtroq; enim loqui-

quitur. Atqui etiam si de priori loqueretur, contra Suencfeldium decreuit tamen. Nam is propheta carnem Christi negat etiam in secundo statu esse creaturam: cũ Synodus affirmet carnem Christi esse carni humanæ, quæ certè creatura est, consubstantialem. Impudens est Suencfeldij propugnator, homo, siue longus ille sit, siue paruus, certè leuis armaturæ veles est: cum non dubitet id negare palam, quod minimè obscurè ipse author est professus. Quæro abs te, an neges hæc esse verba Suencfeldij: Humana eius infirmitas in virtutem Dei est permutata, hoc est, vt ipse exponit,

facta

facta est Deus. Itemq; in articulo sequente. In posteriori verò statu nulla planè est amplius distantia, seu inæqualitas naturarum in Christo. Nam est filius etiam iuxta carnem suam, Patri in honore, gloria, & vnitate diuinæ naturæ per omnia planè totus coæqualis, ac modis omnibus similis: Quæro, inquam, sunt ne hæc verba Suenfeldij: Si negas, librum, qui de duplici statu Christi, nomine C. Suēfeldij circumfertur, huius authoris non esse, euincito: eo enim ex libro sumpsi ego, quod tu in libro meo legisti. Sin affirmas, quin, obsecro, non est antiquitus damnata hæresis,

sis, asserere, Christum esse iuxta carnem, Deo per omnia coæqualem: Nullam esse in secũdo statu, hoc est, in cœlis, distantiam naturarum in Christo: Hunc ego errorẽ dixi esse Dimæritarum, quod cum hi diuinã naturam putarint in humanã mutatam: cumq; Suencfeldius humanam contrà in diuinam transisse, & vtrãque è duabus factam esse vnam asseueret: quid inter vtrosq; interest, si mutationem spectes naturarum? Nihil penitus: nisi quod Dimæritæ ex humana diuinã, & Suencfeldius ex diuina humanam, sed tamen vnitatem naturarum factam vtriq; fateantur. Apud Epiphanium extat

extat prolixã epistola D. Athanasij aduersus hunc Eutychianorũ, Dimæritarumq; errorem scripta: & inter cætera. Vnde vobis, inquit, euenit dicere, ô vos hæretici, cõsubstantiale esse corpus verbi (τȣ λόγȣ) diuinitati? Et paulò pòst: Etenim vel ex hoc absurditatem nobis licet cernere. Si verbum (ὁ λόγ☉) corpori, secundũ eam, quam ex terra habet naturam, consubstantiale est: quin, cum verbum (ὁ λόγ☉) Patri, iuxta Patrum S. confessionem, cõsubstantiale est, necesse fuerit, & Patrem corpori esse homousium ex terra procreato. Quid nos aliud contra Suencfeldium aut debemus,

aut

aut possumus dicere? Si caro Christi, diuinitati coæqualis est, vt ait Suencfeldius, necesse erit, cum diuinitas Christi, Patri est coæqualis & ὁμοούσιος, carnem Christi etiam esse coæqualem Patri. Sed quid absurdius fingi potest, quid dici in Deum contumelioſius? Adeò firma est doctrina Ecclesiæ ex S. literis, harumq; orthodoxo intellectu, quem Nicena synodus, teste D. Athanasio, protulit, vt dubitare de his, sit Eutychianum: contendere, Dimæriticum. Sic igitur cum interpretatur Scripturã S. Nicena Synodus, cum sic Chalcedonense Cõcilium, cũ sic omnes Patres sancti:

quid nos, vel te, Longine, siue Suillus sis, siue Opillus, vel ipsum Suencfeldium moramur? Iudicium esto omnibus pijs, imò hostibus æquè, atq; amicis, num rectè tu neges, quæ palam ille affirmauit: num iustè defendas, quæ prauè asseruit homo non tam natura malus, quàm valdè illiteratus. Quod autem argutaris Longine, si humana natura sit transmutata in diuinam: quo pacto possit Suencfeldius, illo posito, id etiam ponere, Christum habere corpus putatiuum: respondeo tibi, si tamen mysterismus tuus ferre responsum poterit. Quia enim cum statuitis,

tuitis, tu, vt discipulus, Suencfeldius, vt præceptor, Carnem Christi iam esse ὁμοούσιον diuinitati: oro te, vt edisseras nobis (siquidem nunc ambæ Christi naturæ vna essentia factæ sint) qua ratione corpus illius queat dici præsens in cæna Domini? Si adest, quî natura diuina, (quemadmodum vultis) potest propriè humanum corpus dici, cum diuinitas careat corpore? Sin contrà, adest tanquàm verum corpus: quomodo verum erit, quòd in diuinam naturam sit transmutatum: vel, quòd corpus sit ipse Deus? Istum tu nobis nodum Lõgine, cum expedieris, causæ statum

ordiemur: interea acquiescam, & quò te vertas, & quid impiè garrias de μεταστοιχειώσει, expectabo: nam alio te hamo capiendum arbitror: nec effugies, crede mihi. Hoc videlicet modo cum Manichæis dixi Suencfeldium facere, quòd, cum is Domini corpus esse affirmet diuinam naturam, cumq; diuina natura non habeat corpus, & hoc tamen velit præsens adesse in Cæna domini, necesse fuit, sicut D. Athanasius de Manichæis scribit ad Epictetum, vt, δόσει μὴ δοκήσει, id est, putatiuum corpus in Cæna Domini statueret esse, quod, quoniam transierit in essentiam diuinã, verè proprieq;

priècq; corpus dici non possit. Iactas aũt idem, quod sentiat Suencfeldius, sentire Hilarium, Cyprianum, Ambrosium, Hieronymum, cæterosq; Patres S. fictum id est, & commentitium, euinci non potest, falsò asseritur: cum omnes, diuersum & doceant & sentiant à dogmatibus vestris. Tertius Manichæus error, quem Suencfeldius hoc tempore, & Osiander resuscitarunt, est, quòd aiunt, hominem iustum esse essentiali Dei iustitia. Ita docere & scribere Suencfeldium, liber ipsius, quem de euangelio Christi inscribit, abundè demonstrat in eo capite, quo imputatiuam Luthera-

norum iustitiam refellit, fol. 138.

Sie sollen aber ermanet sein / die H. Schrifft zuersuchen / vnd sollen zuhertzen füren / ob solcher Glaub vnd gerechtigkeit nit mehr ein menschliche persuasion / vberredung oder selbst eingebildter wahn / oder aber ein Historischer vernunfft Glaub sey / welchen jhn die menschen bey jrem vnbusfertigen leben aus der Predigt selbst können machen / weder das es der ware lebendig Glaube / die Gab des heiligen Geists / vnnd die wesentliche gerechtigkeit Gottes sey.

An non expresè, an non disertè scribit, iustitiam & fidem, esse essentialem iustitiam Dei? Quin & ipse Longinus, Svencfeldij protector ex Hieremia dictum allegat, Iehoua, iustitia nostra; quod Osiander

sic

sic interpretatus est, quemadmodū & similia loca scripturæ Suencfeldius, scilicet, vt hominem planè velit ea iustitia iustum esse, qua ipse in sua essentia Deus iustus existit. Eadem disciplina Svenckfeldij est de fide, qua credimus Christiani: sic etenim ille in eodem lib. Fol. 61.

Aus solchem bericht kan deñ bald gemerckt vnnd ausgerechnet werden / was der rechte ware Glaub oder der gerechtmachend lebendige Glaub ist / vñ das er im grund ein gab des wesens Gottes / ein tröpflin des himlischen qualbronnens / ein glentzlin der ewigen sonnen / ein füncklin des brinnenden fewrs / welches Gott ist / vñ kürtzlich ein gemeinschafft vnnd theilhafftigkeit der Göttlichen natur vnd wesens ist / daher auch Pau-

lus den Glauben beschreibt / das er ein selbstaud oder wesen der dingen sey / die wir hoffen / vnnd ein gentzliche vberweisung oder vergwissung deren dinger (oder von denen) die man nit sihet / was ist aber solchs anders das wir hoffen / dann Gott mit seinem wesen / vnd das ewig leben durch Christum aus gnaden zu erwerben? Fidem, ait, esse guttulam cœlestis fontis, esse radiolum sempiterni solis, esse scintillam ardentis ignis, qui ignis sit ipse Deus. Quid autem Longine, si cœlestis iste fons, si sol iste sempiternus, ignisq; ille ardens est (sicut ait) ipse Deus, quid aliud guttula eius fontis, quàm particula aquæ fontanæ? Quid scintilla, nisi particula ignis, aut certè

(quia

(quia Deus non diuiditur) ipse Deus? An non hæc Manichæa sit hæresis, Augustinum aduersus eadem Fausti Manichæi deliramenta scribentem consule. Idem te quoque sentire, & velle prorsus, tua ipsius explicatio arguit. Quid enim tu aliud, cum scribis, Wie solchs mit zeugknus der heyligen schrifft erwisen / vnnd die falsch Calumnia der jenigen / so aus geistlichen gaben Gottes / Qualitates vñ Creaturē machē / abgelcynet wirt. Si fides, charitas, iustitia, & similia Dei dona, non sunt creaturæ, sunt certè ipse creator Deus? medium enim nullum potest dari. An non, quod Suencfeldium superius sentire

negasti, id ipsum tu affirmas hîc? Et quò tu hoc peruersius, eò magis ingenium miror tuum: siquidem ad istam Suencfeldij sectam videris accessisse nouitius, qua docilitate senex arcaniores istas hæreticorum artes tam citò addiscere potueris. Solent enim hi, sed exercitatiores, aliud imperito populo instillare, aliud respondere aduersario. Exempla huius artificij, multa Augustinus in Pelagianis ostendit: Epiphanius plurima in diuersis sectarijs. Sanè id Strategema sic perdidicisti Longine, vt discipulus ipso præceptore instructior videare: maximeq; cum, quod ille hactenus

abstinuit,

abstinuit, tu maledicentiam misce-
as, cum peruersitate infelicis causæ.
Nolim verò expectes, vt tecum
conuiciando faciam paria: men-
tem potius tibi saniorem optaue-
rim. Reliqua dogmatum Suenc-
feldianorum capita, quæ recensui
ego, & tu agnoscis esse vestra, non
repetam hîc: siquidem rectè illa
habeant, an secus, nunc ego discu-
tiendum mihi non proposui, aliâs
autem si fuerit necessarium. Id iam
ago, vt, quæ vestra esse scripsi, ve-
rè vestra esse euincam, quod
huic tempori satis esse
iudicaui.

MODE-

MODESTA RESPONSIO AD FALSAM INficiationem & maledicentiam Andreæ Musculi Francofordiensis Prædicantis.

FERtur Philosophus quidam interrogatus, cum duo sint capitalia vitia, calumnia & contumelia, vtra capitalior, respõdisse, quòd calumnia: cum hæc veritatem soleat, illa famã hominis oppugnare: atq; idcirco licet vtriusq; defensio sit necessaria, veritatis tamen semper, quia publicum bonum est, famæ nonnunquam, quia est bonum hominis priuatum, & potest interdum, vt priuatæ iniuriæ vindicta,

dicta, dissimulari. Edidit hoc anno aductus me Andreas Musculus, Francofordiensis præco, libellum quendam, quem ille calumnia ne veritatis, an contumelia personæ meæ abundantius referserit, dubium videri potest: cum vtrobiq; par studium adhibuerit, ne in alterutra author esset ipse sui dissimilis. Sumpsit autem is, quem dixi Musculus occasionem ex libro meo, sicut & reliqui, post Vvormatiense Colloquium edito, quamuis in hunc finem à me minimè scripto, vt nomine meo publicaretur. Sed eo in libro quia diuersorum sectariorum opiniones inserui, & cum locus in-

cidi set

tidisset de iustificante CHRISTO, an is iustificet genus humanum secundum solam naturam humanam, vt Franciscus Stancarus contendebat, an secundum solam diuinã, vt Andreas Osiander, an denique secundum vtramq; simul, vt plerique omnes: ibi Andreas Musculus adeò Christum esse iustificatorem iuxta vtramque naturam, vt diuinam illius naturam, in cruce & passam, & mortuam non dubitarit asserere. Eam Musculi sententiam ascripsi etiam suo in loco libri mei. Ne autem ego (cum illa Musculi opinio Noëtianam hæresim oleret) incertus essem, ita ne,

ne, an aliter haberet, præterquàm quòd publicus rumor ita esse increbuisset ex eà, quæ illi Francfordiæ cum Stancaro publica erat, contentione, accedebat quoq; tùm fides grauissimorum hominum, qui in Berlinensi aulâ, magna valent authoritate, tum & scriptum quoddam ab ipso Andrea Musculo Francfordiæ editum, mihi verò missum ab ipsius quidem tum temporis auditore, meo autem seruitore quõdam, Ambrosio Stubnero. Quamobrem ego tot diuersis, & idem tamen testificãtibus iudicijs confisus, nouum sanè Musculi dogma, aut certè hæresin antiquam,

antiquam, ascripsi inter reliqua placita confessionistarum. Scriptum autem quo Musculus assertionem suam aduersus Stancarum probabiliorem fore putabat, hoc modo sub titulo Martini Lutheri typis excusum prodijt Francfordiæ ad Oderam.

INSCRIPTIO.

RESPONSIO R. P. MARTINI LVTHERI, AD QVAESTIONEM, *an rectè & uerè dicatur, quòd Christus mortuus sit etiam secundum diuinitatem, cum diuinitas non sit subiecta morti, nullaq; in eam cadat passio.*

Bona fide ex ore docentis excepta, & nunc recens impressa.

Anno M. D. LIII.

Quæstio

QVæstio est: An rectè dicitur et verè, quòd Christus passus & mortuus sit etiam secundum diuinitatem, cum diuinitas nō sit subiecta morti, nullaq; in eam cadat passio. Cum Petrus dicit, Christum morti traditum esse secundum carnem, sed viuificatum secundum spiritum.

Contra hanc Quæstionem: An etiam Christus passus sit secundum diuinam naturam, omnes pij hoc tempore & Docti Theologi statuunt & dicunt, quòd Christus nō sit passus secundum diuinam naturam, sed tantum secundum humanam naturam, secundum illud Irenæi: Christus passus est requiescen-

te verbo, id est, diuina natura in passione latuit, & non exercuit suas vires. Item Petrus inquit: Christus passus est secundū carnem, & secundum spiritum resurrexit. Petrus nō inquit, passus secundum diuinam naturam, sed secundum carnem &c.

Das ist/die gotheit ist vnuerruckt blieben/vnd hat Christum an seinem leiden in menschlicher natur nicht verhindert ꝛc. Sonder in der aufferstehung / hat sich die Gottheit wider herfür gethan/& communicatio Idiomatum, scilicet die vermischung der eygenschafft beder naturen Christi.

Posset obijci.

Si tantum homo, in quantum homo est, passus sit, non satisfactum est pro peccatis. Re-

Verum est, si homo, quales nos sumus, plenus peccati esset passus, non satisfactum esset pro peccatis. Sed Christus fuit sine omni peccato &c. & is satisfecit.

Responsio R. D. Martini Lutheri.

Omnes pij & verè Christiani, seu tota Ecclesia Christi Catholica sine vlla dubitatione credit, cum statuit id, quod tradit Symbolum, videlicet, quòd Iesus Christus vnicus Dei filius, eiusdem essentiæ, & naturæ diuinæ cum patre, sit verè cõceptus, natus, passus, crucifixus, mortuus, sepultus.

Credit igitur, nõ tantùm humanam naturam, sed etiam diuinam,

seu verum Deum pro nobis passum esse, & mortuum, quanquam mori sit alienũ à natura Dei, tamen quia natura diuina sic induit naturam humanã, vt inseparabiliter coniunctæ sint hæ duæ naturæ, ita, vt Christus sit vna persona, Deus & homo, & quicquid accidit huic personæ, quæ est Christus, hoc accidit Deo & homini. Ideo fit, vt hæ duæ naturæ in Christo sua Idiomata inter se communicent, hoc est, vt quod vni naturæ proprium est, hoc communicatur etiam alteri propter inseparabilem cohærentiam, vt nasci, pati, mori, & si sunt nostræ humanæ Idiomata seu proprietates, quarum

rum diuina natura quoq; sit particeps propter inseparabilem illam, & tamen fide cõprehensibilem coniunctionem. Itaq; non tantum homo, sed etiam Deus concipitur, & nascitur ex Maria virgine, patitur, moritur, sicut testatur Paulus Roma. 1. Filius Dei natus est, inquit, ex semine Dauid, assumpsit humanam naturam, quæ propriè nasci dicitur. Et Ioannes inquit: verbum caro factum est: Deus homo natus est, ita, vt non tantum homo natus sit, verum etiam vt filius, vt inquit Paulus, seu verus Deus natus sit, & Maria sit non solùm mater, verum etiam vera mater Dei, quod testa-

tur Gabriel Lucæ 1. Paries, inquit, filium, qui vocabitur filius altissimi. Itē, vocabitur filius Dei. Et addit: Dabit ei Dominus Deus sedem patris sui Dauid. Ecce vnus & idem est, verè filius Dei, & filius Dauid. Porrò, quod de communicatione vnius Idiomatis dictum est & probatum, vt quod nasci competat diuinæ naturæ per communicationē: Idem quoq; intelligi debet de communicatione reliquorum Idiomatum, vt passio competit humanæ naturæ, & tamen eam diuina quoq; subijt, secundum illud Rom. 1. Oportet nos conformes fieri imaginis filij dei &c. Itē: Qui proprio filio

non

nō pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Item alibi: Si illum cognouissent Dominū gloriæ, non crucifixissent. Et ad Philipp. Iesus cum esset in forma Dei, quia erat æqualis Deo, humilē præbuit semetipsum, factus obediens Patri vsq; ad mortem, mortem autem crucis, &c. Item: Eccles: canit. Vita in cruce moritur &c. Est ergo certè credendum, omnia illa, quæ humanæ naturæ propriè competunt & accidūt, communicari quoq; naturæ diuinæ, ita, vt rectè & verè dicatur Deus nasci, lactari, iacere in præsepio, algere, calere, ambulare, vigilare, edere, bibere, pati, mori &c.

Sed est insignis locus ad Hebræos, qui huc maximè pertinet, quem adhuc in hac parte mihi adducam, cap. 2. Fecisti autem eum paulò inferiorem ab Angelis, cernimus Iesum, propter cruciatū mortis, gloria & honore coronatum &c. Et dicit pusillum, id est, donec gustaret mortem. Quid dilucidius dici potuit? Est, inquit, inferior Angelis, quorum natura non est subiecta morti. Ipse autem cum sit Dominus Angelorum, & creator, cumq; sit natura Deus, tamen mortem oppetijt, humilians, exinaniens semetipsum. E regione autem sentiendum est, quòd diuinæ naturæ Idiomata

mata in Christo verè communicentur nostræ humanæ, quæ est cum diuina sine aliqua separatione coniuncta. Ideo inquit ipse Christus Ioh. 3. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo, sed tamen interim adstat in terra colloquens cum Nicodemo. Vides ergo homini, siue humanæ quoq; tribui, quod diuinæ propriè competit. Item apud Mathæum inquit: Vbicunq; duo aut tres congregati &c. Item: Ego ero vobiscum vsq; ad consummationem seculi &c. In his locis certè loquitur Christus de sua personali præsentia, & cum illa persona, quæ

est Christus? Sic vbiq; necesse est quoq; hominem simul & Deū, seu vtramq; naturam cōiunctam vbiq; & verè adesse, exaudire, operari omnia in omnibus, iuxta illud. Subiecisti omnia sub pedibus eius, cum tamen nulla mens humana hoc assequi aut intelligere suo ingenio, aut sapientia possit, debet eis certo assentiri fide, quod vbi fecerit, tum demum sentiet, quantum is articulus consolationis adfert in omni inuocatione, in omnibus tentationibus, peccati & mortis. Item comperiet, quantum etiam lucis adfert intelligendæ scripturæ, & omnia in historia passionis Dominicæ

minicæ videbuntur otiosa, & frigida, nisi hic locus teneatur. Hinc facilè intelligi potest, Petrum, cum ait, Christum esse morti traditum secundum carnem, non excludere naturam diuinam à communione mortis & passionis. Nam dicit, secundum carnẽ traditum esse morti, quia mori propriè competebat humanæ & mortali naturæ. Sed tamen ait, ipsum Christum mortuum esse, qui est verus Deus & homo. Igitur Deus & homo mortuus est. Præterea his cognitis, neminem potest offendere Gregorius, qui adorat Christum mortuum in sepulchro. Cur enim mortuum nõ

adoret,

adoret, cum in mortuum & sepultum crederet, qui, quia mortuus est & sepultus, erat non tantùm homo, sed etiam Deus.

HOC schediasma siue confictum sit, siue exceptum ex ore docentis Lutheri, litem nõ fecero meam: verum id ipsum à Musculo euulgatum esse, & Musculum ita docuisse publicè, minimè hæsitanter testificaturi sunt ij, qui idem mihi non dubia fide, cum ipsimet audiuissent ita docentem, retulerunt, viri scilicet graues atq; celebres. Musculum decuisset, si compendio voluisset vti, vt me leuaret labore, se suspicione, Francfordiensis academiæ

miæ testimonium publicum, quod illum non obscurè frustra intellexi petisse, proferre. Ita demum si ab eo loco, in quo res ista gesta est, veritatis euidentia requireretur, fieret omnino, vt nec ego affirmare, ille frustra inficiari absq; certis testibus, videremur. Quocirca, quandoquidem ipse inficiando munus probandi in sese sponte sua recepit, operiar equidem Francfordiensis scholæ, vel in hanc, vel in illã partem, publicatam sententiam. Eamq; vbi videro, proferam & ego nominatim testimonia eorum, qui illum id Neotianum dogma innouantem audiuerunt, efficiamq; non

solùm,

ſolùm, vt crimen falſi in me non hæreat, ſed ne maleuoli animi ſuſpicio quidem. De Francofordienſis academiæ fide mihi hoc polliceor, vt haud dubitem viros honeſtos iſtud amicitiæ priuatæ non daturos eſſe, quod propriè debetur veritati publicæ. Et hoc ſatis de calumnijs Muſculi. De contumelijs ſtrictim: cum probra iniuſta cõuitiatori potius, quam conuitijs affecto ſoleant conflare inuidiam. Ego verò in aliqua parte felicitatis poſuerim, quòd me is homo conuitiatur, qui nec ipſe purius, quàm loquitur, vitam ducere didicit. Beati, inquit D. Petrus, cùm maledixerint vobis, ſcilicet

scilicet modò ne patiamur vt homicidæ, vt fures, vt malefici, vt episcopi degeneres. Tametsi quidem infirmitatem meam non dissimulo, mihi enim non solùm, sed alijs multis anteacta vita mea perspecta est & cognita: tamen ita vixi hactenus diuersis in locis, in academijs, in aulis principum, vt neq; me, neq; meos mei queat pudere: eiusq; innocentis vitæ meæ, illorum merui non tantùm, qui mihi sunt beneuoli, sed etiam eorum, qui me nunc oppugnant hostes, præclara testimonia: tantũ abest, vt metuam me alicuius sceleris conuictũ iri. Ne etiã aliquando, vt ἀλλοτριοεπίσκοπος, iure

malè

malè audirem, abstinui equidem magnopere & abhorrui ab omni Lutheranicorum sacrorum initiatione, nec vnquàm passus sum vllas obtrudi mihi, quantumuis magnificæ offerrentur, functiones ecclesiasticas, ratus præstare, me laboriosam Laicæ vitæ conditionem subire, vt viuerem obscurus, quàm vt splendidus, aut clarus, sustinerem periculosum aliquod onus ecclesiastici muneris. Verè hoc à me non falsò recensèri, ipsos Vuitembergenses Theologos, multosq; alios testes habeo locupletes. Sed enim quò verius hoc à me dicitur, eò impudentior est Musculi & contume-

liosior

liosior criminatio, dum me insimulat, vulgoq; traducit, quòd ambitionis causa certarim cum Osiandro, & cum id certamen mihi parum euenisset feliciter, huc ad Pontificios me profugisse, vt hic felicius. Hoc confictum est à Musculo, neutrum factum à me. Non sponte aut vlla ambitionis causa, sed vi quadam, importunitateq; huius sæculi, me in illud duellum tractum esse atq; cõpulsum, cunctæ Prussiæ notum est, nec obscurum doctis hominibus in Germania. Rogatus tanquàm cõsiliarius ab ipso Principe, qualia mihi dogmata Osiandri viderentur, cum doceret Christum sola di-

uina natura esse iustificatorem humani generis, affirmaretq; hominẽ oportere diuina illa & essentiali Dei iustitia, qua Deus ipse iustus est, iustum fieri: respondi, hoc dogma Manichæum esse, illud Nestorianum, neutrum ab vllis posse Christianis probari, quãdo vtrumq; iam olim sit anathemate percussum. Quamuis ego hæc non in publica, sed in priuata consultatione pro ea, qua obligabar, fide, dixissem, compertum est tamen, quo in discrimine vitæ, fortunarumq; mearum cõstitutus fuerim eam ob causam. Nec ignotum, quàm trepidè, quàm incertè, quàm hæsitanter theologi

Con-

Confessionarij, eam controuersiã primò susceperint, deinde quàm frigidè atq; perplexè, quam vanis & inter se pugnantibus sententijs tractarint, vt plus ipsis inter se esset, quam cum Osiandro contentionis. Ego Osiandro opposui non meum, sed Catholicæ Ecclesiæ iudicium, quo, cum regia Ecclesiæ via cõmonstraretur, non minus confutationes Confessionistarum, quàm assertiones Osiandri, refutabantur. Aliorum esto iudicium: ego de me nihil arroganter. Quod verò me ad Principes Catholicos contuli, nullã habet neq; transfugij speciem neq; ambitionis: sponte enim, non

coactus, Prussiam deserui, cognatos reliqui & affines, iacturamq; aliquot millium marcarum cõtempsi (non ignota refero) in ditionem Cæsaris Ferdinandi me contuli, non profectò aliqua adipiscendi honoris spe, sed salutis studio non amittendæ. Verè hoc à me dici testis est lœtalis ille morbus meus, cum Vratislauiæ, medicis de vita mea desperantibus, ostenderim eo in vitæ meæ discrimine non fucatè me Lutheri religionem detestari, ex animo amplecti catholicam. Verùm quid ego hæc? Nil enim ad Musculum: quem ego tanto non dignor honore: nam ipse quæ narrat,

rat, carẽt omni testimonio, destitu-
untur omni probabili documen-
to, argumenta sunt ex Lucianicis
deprompta narrationibus. Ita lo-
quitur homo nefarius, vt in ganeo
impuri Lenonis, non in schola Ci-
ceronis loqui didicisse videatur.
Quæ enim emblemata istius Leno-
nij oratoris sunt, nisi quæ manife-
stò vera esse noscuntur, ea menda-
cia vt dicat esse, & calumnias? A
me quæ aut ex Lutheri libris citata
sunt, aut ex Melanthonis, aut ali-
orum, ascripsi librorum nomina &
loca. Quod hac in re crimen falsi?
quæ calumnia? quod maledicendi
studium? Sed somnium istud est ex

elephantina istius hominis porta profectum, & oculis orbum, & luce veritatis cassum. Cur Musculus volumina ea, quæ sunt à me allegata, non inspexit, vt probabiliter posset ac verè pronuntiare, sit ne ita, vt ego citauerim, vel non sit: Sed ille (sicut mos est sectariorum, quod ipsi faciunt, solent accusare aduersarium) in genere garrit, nec, cur quicquam garriat, aut pronunciet rectéue habeat, legitimis rationibus sibi euincendum arbitratur. Quid attulit Musculus, dum me inuidia grauat maledicentiæ & calūniarum, nisi procacem quandam & meretriciam calumniandi maledicen-

ledicendiq; proteruitatem: Suos sectarios laudat, conuitiatur Catholicos: sed quod argumentum, cur hoc vel illud rectè faciat, in medium adduxit? Nullū. Nisi forsitan, quia ipsi homines docti, nos indocti: illi doctores clari, nos obscuri: illis licet, quod nusquā est, asserere: quod est, inficiari: nobis non licet. Scholasticorum doctorum antilogias, iurisq; Canonici nos Musculus iubet colligere, quas putat infinitas esse, suas verò suorūq;, quasi nullæ sint, aut certè nullius momenti, non attendere. Nolunt ista nuper exorti euangelij lumina, ætiologias,

cur quidquam asseuerẽt, argumentis, testimonijsq; euincendum, requiri. Verum, vt istam ad rem viri graues sunt ac tardi, ita veloces pedes habent ad effundendum sanguinem, vt, vbi veritatis argumentum sibi intelligunt deesse, ibi gladio Martiniani, seu (quod idem est) Martialis euangelij supplere queant. Me breui mala morte ac infelice periturum prædixit Francofordiensis propheta, sed non spiritu Eliæ, aut Elizæi, sed eius, qui, vt mendax est, ita & homicida. Et procax, & insidiosa bestiola est musculus, planeq; μιάσως: credi posset, si æquè ei adesset facultas, atq; voluntas

luntas prompta est, sicarios aliquot conduxisse: qui ex insidijs clam mihi necem afferrent. Eo pacto ipse se prophetam haberi posse putat, & me eodem iure Iulianum. Vtitur exemplis recentibus eam ad rem hic prophetes, Pacæi nimirum, ac laudatissimi principis, Episcopi Herbipolensis. Vides, optime lector, atrocissima latrocinia, tanquam iusta supplicia collaudant nostri Euangelici. Edidit nuper, nescio quis scriptum quoddam, quo non dubitauit author, quòd alter eorum à crudeli sicario interfectus est, id optimo iure & quidem diuinitus factum asserere: de altero idem illos

sentire, euentus comprobauit, & idem Scriptor ostendit nõ obscurè. Hinc profectò dubium debet videri nemini, quo spiritu de mala morte mea, quam Deus in ipsius caput auertat, prophetizet Musculus Francofordianus. Me, adiuuãte Domino, neq; minis paratæ cædis, neq; obiecto exemplo siue Iuliani, siue Herostrati quisquam auertet à veritate Catholicæ fidei: quam cõfiteor me amplexum adeò integrè, vt si venulam in corpore meo vllam sentientem cum sectarijs cognoscerem, excidi illam curarem: tantum abest, vt hæreses queam Lutheri probare: in quas mihi verbis præ-

iri,

iri, nunquam ſum paſſus. Præcor autem Deum, vt me vaſculium aliquod velit eſſe miſericordiæ ſuæ, ac ſi res ita poſtulet, minimè dubitem martyr pro veritate veri euangelij, contra falſum fictumq; euangelium Lutheri, honeſtam mortem conſtanter oppetere.

RESPONSIO AD CONFICTAS DISſenſiones, quas inter Catholicos eſſe falſo crſminatur Math. Illyricus.

CVM Mathias Flacius, homo Illyricus, cerneret in Germania paſsim libellos quoſdam contra me

me editos, tanquam ferales discordiarum, furiarumq; faces volitare, piguit illum, ne, quando hoc in ludo nunc primas obtineat, frequenti applausu populi, postremus esse existimaretur. Ne etiam vulgato eo, quem secuti socij sunt, modo veteretur, aliter statuit hoc dragma producendum ex scena, imitatus eius generis mulierem, quæ corpore suo quæstum facit. Eam enim, si honesta matrona hoc, quo vocari consueuit, nomine appellet: tum illa confestim contra in hanc, Et tu talis es: quippe, cum se esse scortum negare non possit, eiusdem criminis macula aspersam cupit aduersariam

fariam videri, vt paritas exæquatæ turpitudinis, quoquo modo culpã leniat scortationis. Sic etiam Illyricus se suosq; gregales purgat. Quia enim ita in libro meo alicubi rationabar, notam hæreseos esse, quod hæretici semper inter sese soleant esse discordes de præcipuis Christianæ fidei articulis: cum autem Lutherani furiosè inter se dimicent de ipso Christianæ religionis fundamento: hæreseos notam illos non posse effugere, significabam. Pronuntiatũ anterius largiuntur plericq; omnes: posterius Iacobus Smidelinus infestè negat, Illyricus concedit, pensatq; crimen,

quod

quod ſuum eſſe agnoſcit, alio crimine, quod noſtrum eſſe, nequaquã agnoſcimus. Itaq; ſuo in libro contra me euulgato hunc fixit ſcopum, & quamuis eſſe hæreſes inter Lutheranos, ipſe non modò non inficietur, ſed publicè & ſcribat & proclamet, nos tamen vt refellat, regerit idem crimen, quaſi etiam inter Catholicos ſint horrendæ diſſenſiones. Nos verò illud Illyrici reſponſum, veluti rectè confeſſum, accipimus, eſſe videlicet inter Lutheranos multas hæreſes: hoc autẽ quod in nos regerit, conſtanter negamus, iure reijcimus: euinci enim nõ poteſt vllo modo, etiamſi furiat, me-

medius q̃ rumpatur Illyricus. Quapropter id nunc agam, sed breuiter, vt doceã inter Catholicos (quoad tamen re ipsa Catholici sunt) nullas esse, nec fuisse vnquam dissensiones de fundamento & præcipuis Christianæ fidei articulis per Ecclesiam, ex orthodoxa scripturarum interpretatione, ritè definitis atq; conclusis. Quo autem hoc ego planius faciam & magis perspicuum, punctim oportet constitui, quod sit corpus doctrinæ Christianæ, quæ præcipua membra, qui articuli necessarij: quæ demum particulæ, quibus læsis, corpus tamen integrum mancat,

item q̃

itemq́ quæ acceſſoria, qui veſtitus, & ſimilia eiuſdem generis. Dubium credo, eſt nemini, omnem Chriſtianæ doctrinæ conſtitutionem, rectè diuidi ſolere in ius diuinum & humanum: quorum illud nulla authoritate hominum mutari poſsit, hoc poſsit: vtrumq; tamen ita inter ſe copulatum, vt alterum abſq; altero non queat commodè exiſtere. Hoc adeò planum eſſe & manifeſtum confido, vt qui inficiari audeat, nemo mortalium reperiatur. Ius autem diuinum, id eſt, quod Deus ſiue in lege morali Moſis, ſiue in prophetijs & euangelijs Chriſti, ſiue aliàs patefecit ad inſtitutionem,

nem, salutemq; humani generis ne-
cessarium. Huc pertinet non solùm
scriptus sacrorum Bibliorum tex-
tus, sed verus etiam huius atque or-
thodoxus intellectus: qui, si catho-
licus est, & quia catholicus, falsus
esse & sectarius non potest: necesse
est, vt planè verus sit, nec vlli refra-
gabilis mortalium. Quo fit, vt ex
hoc catholico scripturarum intelle-
ctu quicquid ritè conclusum fuerit,
& qui hinc per œcumenici concilij
consensum sanciti canones, explici-
tè sint iuris diuini, nec minus, quàm
ius diuinum implicitè scriptũ, cum
plus vno non possit eadem in re
esse verum, sed eandem oporteat

esse tam in textu, quàm in glossa, tam in τῷ ῥητῷ, quàm ἐν τῇ διανοίᾳ veritatem: vicissimque fit, vt quicquid huic catholico scripturarum intellectui, & sacris canonibus inde ductis, contrarium innouatur, pertinaciterq; contra legitimum Ecclesiæ magistratum defenditur, sit hæresis. Ius positiuum, quia iuris diuini vestitus est, circumstantias considerat, & accidentia, quibus res in genere positæ applicari possint in diuiduis personis ac rebus. Sed hoc ius ante legitimam sanctionem, liberum est atq; adiaphorum: postquam verò sancitum positumq; est, à nemine potest nec debet dissolui, nisi

nisi ab his, à quibus poni potuit. Et quicquid contra hoc positiuum ius, quando iam positum legitimè & sancitum est, & cõtra hos canones, qui inde iudicio Catholicæ Ecclesiæ producti sunt, innouatur, pertinaciterq; defenditur, schismatis speciem habet, aut certè rebellionis. Eaq; de causa omnes sancti Patres, cum illuud Pauli explanant, State fratres, & tenete traditiones meas, quas edocti estis, siue per sermonẽ, siue per epistolam nostram: cõstanter asseuerant vniuersi, quod & scriptum verbum, & nõ scriptum, traditumq; ab Apostolis, vtrumq; pari veritatis authoritate habendum sit.

Vnde illud Hormisdæ canonibus insertum, vt est in Decretis, cons. 25. q. 1. Prima salus est, inquit, rectæ fidei regulam custodire, & in constitutis patrum nullatenus deuiare. Crassiore ego hæc quidem Minerua, quam solent homines in hoc genere excellentes, spero tamẽ, licet generatim à me dicta sint, nihil habere absurditatis. Membra autem Christianæ doctrinæ, quæ summam diuini iuris complexa est, præcipua sunt (etiam vestro iudicio) de Deo vno & trino, de creatione, de prædestinatione, de peccato, de libero arbitrio, de lege, de euangelio, de iustificatione, de fide, de ope-

de operibus, de legis impletione, satisfactione, & merito, de pœnitentia, de Redemptoris Christi beneficio, de Ecclesia, de sacramentis, de potestate ciuili, & alijs. Hæc (& si quæ alia præterea) membra Christianæ doctrinæ in vnum collecta, efficiunt aliquo modo corpus Christianæ & Catholicæ religionis. Vicissimq; eadem ista membra legitima partitione in suas diuisa partes, Catholicæ fidei articulos constituunt. Quocirca omnes illi, qui aut reale membrum aliquod, aut realem articulum fidei, siue collidit, siue loco commutat suo, eumq; conatum suum aduersus consensum

Catholicæ Ecclesiæ defendit, non potest non hæreseos crimen committere. Cedò iam Illyrice, agamus placidè, facessant affectiones priuatæ, rem videamus. An non, si qua dissensio est, eam necesse fuerit, aut de humano iure esse, aut de diuino? Credo id largiri te nobis. Si de diuino est, necesse quoq; fuerit, vt sit aut de principali membro aliquo, & articulo tali, quo læso, corpus integrum nequeat persistere, aut certè de aliqua eiusmodi particula, qua vel ablata, vel læsa, vel relicta in dubio, corpus tamen incolume possit, & integrum remanere. Si iecur lethaliter læsum est, aut pulmo,

aut

aut cor, aut cerebrum, quoniam principalia membra hæc sunt, vt animal intereat, necesse est: si vngulam pedis abscideris, si eliseris costam, si conuulseris armum, non morietur fortasse pecus continuò quidē, at mutilatum tamen articulo functionis suæ munus cogitur deserere: sin contra capillarem venam incideris, aut cutim raseris, incolume potest esse, nec idcirco mox integritatem corporis sui amittit. Hoc ergo fixū nobis sit memoriaq; teneamus, duo esse, quæ constituant hæreticum, error in aliquo mē-bro seu articulo catholicæ fidei seu doctrinæ, & erroris pertinax de-

sensio. Accidit nonnunquam, vt emat quispiam rem furto sublatam, quam tamen credidit bono titulo iuris possedisse venditorem. At vero licet postea reperiatur emptor furtiuæ rei, quam emit, esse possessor, non tamen idcirco vllo iure potest aut fur dici, aut furti crimine accersi. Itaq; D. Augustinus ait se hæresin habere forsitan posse, attamẽ nolit esse hæreticus. Atqui esto, sint etiam nunc, fuerintq; olim inter theologos de aliquo fidei articulo nondum per Ecclesiam determinato contentiones, quam istæ habent faciem hæreseos? Nullam penitus, si non fiunt fractis charitatis Christianæ

stianæ repagulis, non contra iudi-
cium legitimi concilij, non contra
Ecclesiæ Catholicæ definitam sen-
tentiam. Ante annos pene trecen-
tos vehemens fuit disputatio inter
theologos, alijs asserentibus per
virtutem baptismi paruulis culpam
quidem remitti, sed gratiam non
conferri, alijs contrà, & culpam il-
lis remitti, & virtutes, &, quæ has
informet, gratiam infundi, quoad
habitum, licet non confestim, quo-
ad vsum. Discussa hæc quæstio est
inter Patres œcumenici Viennensis
concilij, & approbata assertio po-
sterior est, prior reiecta, authoribus
tamen huius nequaquam de hæresi

damnatis. Nam licet ipsa illa assertio, hæresis fuerit per se, sed tamen, quia authores sui illam, cum Catholicæ Ecclesiæ definitionem intellexerant, non defenderunt errorem pertinaces, hæreseos damnari non potuerunt. Non modò enim error de S. scripturis, sed & pertinax erroris defensio, facit hæreticum. Si tradidero corpus meum, ita vt ardeat, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest, inquit Diuus Paulus: Charitas enim οὐ περπερεύεται, οὐ φυσιοῦται nõ superbit, non proteruè obsistit rectè monentibus. Idcirco sua ad Glorium & Elensium epist. Augustsic non per-

pertinaciter errantem excusat. Qui sententiam suam, inquit, quamuis falsam atq; peruersam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim, quam audacia suæ præsumptionis non pepererint, sed à seductis atq; in errorem lapsis parentibus acceperũt, quærunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati, cum inuenerint, nequaquàm sunt inter hæreticos deputandi. Quærebant theologi veritatem, ante Vienneńse concilium disputãdo, post concilii veritati per Catholicam Ecclesiam inuentæ subscripserunt obediendo, nec vlla pertinacia sententiam suam defendentes.

De

De Catholicorum disputationibus hæc lex viguit semper, hæc dissensiones hactenus diremit, & si quæ adhuc sunt inter Bernhardinos & Dominicanos, inter Sotum & Catharinum, & similes, dirimet proximo Concilio, cum Catholica Ecclesia vnum in locum coierit. Hinc satis manifestum esse, spero, qui in dissensione non sint hæretici: iam colluſtremus, qui hæretici propriè queant dici. D. Augustin. contra Manichæos scribens, ita hæreticum definit. Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid, prauumq; quid sapiunt, si correcti, vt sanum rectumq; sapiant, resistunt contumaciter,

citer, ſuaq; peſtifera & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, hæretici ſunt. In eandem ſententiam D. Ambroſius etiam, cum illud D. Pauli exponit, Hæreticum vita. Hæretici ſunt, inquit, qui per verba legis (id eſt, ſcripturæ ſacræ) legem impugnant. Proprium enim ſenſum, verbis aſtruũt legis, vt prauitatem ſuæ legis (id eſt, ſuorum dogmatum) authoritate ſcripturæ commendẽt. Ecquid non graphicè vterq; ſanctus Eccleſiæ epiſcopus depinxit Lutheranos hæreticos? Nihil aliud hi crepant, quàm verba legis, hoc eſt, ſcripturarum; & harum interea

ortho-

orthodoxum intellectum impugnant earundem scripturarum verbis, vt expugnato genuino illarum sensu, suum propriũ sensum & haereticum, scripturarum authoritate commendent imperito populo. An non proprius hic Lutheranorum est sensus, qui Catholico consensui repugnat, dissentitq; ipse secum? An non eum ipsum dissentientem sensum suum pertinaciter, defensitant, non superbè excusant, non propagant nefariè in detrimẽtum Catholicæ Matris Ecclesiæ? Tu hîc confer Illyricc dissensiones: & istas, quæ inter vos sunt: & has, quæ inter Catholicos: atq; id tandẽ

nobis

nobis edisſere, veſtræne debeant, an noſtræ cenſeri hæreticæ. Dogmata vtriuſque partis penſitemus, prius veſtra, noſtra deinceps. Membra & articuli Auguſtanæ Confeſsionis ſunt, vt ſuprà dictum eſt, de vno & trino Deo, de lapſu Adæ & peccato, de lege & euangelio, de Chriſto, de libero arbitrio, de iuſtificatione, de fide & bonis operibus, de ſacramentorum numero, de baptiſmo, de cœna Domini, de pœnitentia, de ſacris ordinibus, de Eccleſia, de ritibus Eccleſiæ, de ciuili magiſtratu & ſimilibus. Hæc membra, &, quos inde colligitis articulos, habet & tractat con-

confessio Augustana. Atqui opinor te, Illyrice, idem fateri nobiscum, & adeò quidem etiam, vt, si quis in his errorē committat, defendatq; contumaciter, illum hæreseos crimine reum velis esse, quia de fundamento articulisq; fidei sit in tali contentione periculum. Credo etiam te non ire inficias, communi nomine nunc euangelicos dici, Adiaphoristas, Maioristas, Saxonicas Ecclesias, Zvinglianos, Osiandrinos, Brentianos, Svencfeldianos. Nam si roges horum aliquem, cuius religionis sit, mox eorum quilibet, se Euangelicum esse respondebit. Iam igitur cum illi sint

articuli

articuli Euangelicæ fidei veſtræ, & hi greges Euangelici: inueſtigemus ſanè ex ordine articulorum confeſſionis Auguſtanæ, an de articulis fidei veſtræ, & de fundamento diſſentiatis, an de leuibus friuolisq; materijs. Quando igitur tu, Mathia Illyrice, negas (hoc enim ordine percurram articulos) τὸν λόγον in euangelio Ioannis, perſonam eſſe, quemadmodum epiſtola tua te ſentire conuincit, quid? de articulo fidei ne iſta diſſenſio inter vos eſt, an de lana caprina? Nunquid hæc connectio Ariſtotelica non eſt? Negare, quod ὁ λόγος ſit Deus, eſt Ariana & Samoſatena hæreſis: Illy-

ricani negant illud : est igitur inter Illyricanos Ariana hæresis. Cum Osiandrini, homines vel inprimis Euangelici, scribũt ac docent, quòd illa imago Dei, quam D. Paulus appellat virum, sit incarnatum Dei verbum, ipsq; adeò Christus, Dei & Mariæ filius, & quemlibet Christianũ esse eandem, quæ Filius Dei est, imaginem : cumq; Melanthon contra asserit, esse in mente veram notitiam Dei, in voluntate ardentem dilectionem : de articulo fidei ne res ista controuertitur : De peccato originali secus intelligunt euangelium in Heluetia Zvinglia-ni, secus Lutherani in Saxonia : hi

enim

enim peccatum esse naturam ream, nec posse integrè tolli in hac vita: illi contrà, esse naturalem morbum quendam, qui tolli queat radicitus. De fundamento ne fidei est ista dissensio? Tu, Saxones q̃ tui legem, neq̃ ante, neq̃ post iustificationem esse necessariam dicitis: Philippus contrà, ante iustificationem requiri, vt sit agnitio peccati. De fundamento fidei ne, est scire, quis integer sit vsus diuinæ legis, quis dimidiatus? Culpas Philippum, quod malè sentiat de discrimine legis & euangelij: an nec hæc confusio est de fundamento fidei? Osiandrini docent, Christum ex sola diuina

natura iustificare hominem: Stancariani ex sola humana: vtrique homines Euangelici. Iacobus Smidelinus in Sueuia, & Nicolaus Gallus Ratisponæ, asseuerant Christum quoque in inferno passum, atque sensisse æterni ignis cruciatum. In ciuitatibus maritimis docetur contrà, nullum esse infernum, sed (cùm suum cuiusque sepulchrum dici soleat Hebraicè infernus) in sepulchrum, non ad inferos, descendisse Christum. Qualia hæc dissidia censenda: de articulis fidei ne, an de furfure externæ cutis: De libero arbitrio est ne leuis disceptatio, cum tu negas rectè de beneficio Christi posse cõ-

stitui,

ſtitui, niſi dogma Lutheri de ſeruo arbitrio ſtet incolume? Cum itaq; tu, & Caluinus ſententiam Melanthonis oppugnetis: de aſini vmbra ne vobis lis eſt? Tu ſola fide hominem vis eſſe iuſtum: Melanthon & Maior, fide quidē principaliter, charitate verò minus principaliter: itemq; tu opera negas neceſſaria ad ſalutem, imò obeſſe etiam contendis: Maior omnia in oppoſitum. Quin nec iſta quidem fuerint de fundamento & articulis fidei? Quando alij duas ponunt, alij tres pœnitentiæ partes, adeò ne res leuis eſt, num tres, aut duas partes in re ritè diuidenda ponas? In hæ-

reditaria, & re pecuniaria fas non est, in tanto sacramento erit? Tu septem crassissimos tuorum errores de eodem hoc sacramento recenses, & tamen negantur esse in Lutheranismo hæreses. Quanta etiam inter vos est de sacramentorum numero digladiatio? Tu Genæ & in Saxonia duo recepisti, quod tibi cum Caluino est commune: Lipsenses theologi tria agnoscũt, nec plura, nec pauciora: Melanthonij, quatuor esse volũt: sunt, qui vnum admittant duntaxat, reliqua repudient. Perinde ne est, siue statuas vnum, siue duo, siue tria, siue quatuor? Si hæresis est, sacramentum

Domini

Domini violare: penitus tollere, erit & hæresis, & sacrilegium simul. Quid Caluiniani & Anglicani Euangelici sentiant de baptismo, tibi notum est: quid tu, tuiq; similes, non ignotum nobis: an negas litem esse de fundamento fidei? Tu Ecclesiam esse inuisibilem defendis contra Menium: Melanthon quõdam in apologia idem tutatus est contra Catholicos: sed iam, versa vice, in vltimis locorum communium editionibus, & alibi, esse Ecclesiam visibilem asseuerat. Quid autem? Si nihili interest, cur antea sacrilegium iudicastis, si quis diuersum sentiret? Cur nunc secus, cum

illud displicet, hoc placet: Cũ Lutherus negat esse superioritatem, cum subditis interdicit, ne præstent obedientiam principibus, cum in militiam aduersus Turcam contribuere vetat, quid? an ius diuinum non violat, qui resistendum docet magistratui? De Cæremonijs verò, alijsq; ecclesiastici iuris negotijs, quia ad ius positiuum pertinent, non scrupulosè disquiram: de dogmatibus aũt articulisq; fidei nunc potissimum: qui adeò apud vos in dissensionis crimine versantur, vt, nolitis, velitis, non hæresin, sed infinitas hæreses esse inter vos (quemadmodum & tu, & Gallus, & ipsi

duces

duces Vinarienſes ingenuè falſi eſtis) fateamini, neceſſe eſt: quandoquidem non ſolum earum hæreſium, quas contra Catholicos, verumetiam, quas in voſmetipſos, ſociosq; veſtros mutua lite controuertitis, criminoſa nomina extent apud antiquos ſcriptores: id quod me, quoties & quandocunq; neceſſarium fuerit, abunde demonſtraturum polliceor: ſiquidem tu, & Gallus, & Amſdorphius, hic in publica confeſsione ſuæ doctrinæ, ille in libro hypotheſium, affirmatis, non eſſe diſſenſiones iſtas veſtras verbalia certamina: ſed eſſe de ipſa euangelij medulla, graues

controuersias, & eiusmodi contraria quidem, quæ nullo modo possint conciliando palliari, sed contradictiones simpliciter, quæ alterutrius partis postulent condemnationem. Ita enim scribit Gallus in suis hypothesibus vltimo folio: So sind jr nit geringe streit vnter vns/vmb geringe sachen / sondern vmb die hohen artickel vnser Christlichen lehre / vom gesetz vnnd Euangelio / rechtfertigung vnnd guten wercken / Sacramenten vñ brauch der Ceremonien ꝛc. Mögen auch keines wegs verglichen oder vndergschlagē werden. Kann es sind je vast eitel Contradictiones, so nit zuuergleichen stehen / als das Gesetz sol man in der Christlichen Kirchen predigen / vnd sols nit predigen. Vnser gerech-

rechtigkeit ist Gottes selb wesen in vns / od es ist sein werck / thun vñ lassen in vns / oder ist seines gehorsams zurechnung ausser vns. Das blut Jesu Christi macht niemand gerecht / vnd das Paul. sagt / Roma. 5. Wir sind durch sein blut gerecht. Gute werck sind nötig zur seligkeit. Niemand ist je on gute werck selig worden / ist auch vnmüglich on gute werck selig werden / vnd dargegen gute werck sind nit nötig zur seligkeit / oder wie der Psalm sagt: Selig ist der / dem seine Sünd vergeben oder zudeckt sind / oder nit zugerechnet werden: der nicht mit wercken vmbgehet / oder einige hat noch haben kan / zur seligkeit. Rom. 4. Christus ist vnd wirt im Abentmal genossen / leiblich vnter Brot vnnd Wein / von glaubigen vnd vnglaubigen. Vnnd das er allein geistlich da sey vnnd genossen werde /

von

von glaubigen allein ꝛc. Pleni ſunt talium anathematum libri veſtri, quibus aut vos alios damnatis hæreſium, aut alij vos viciſsim. Vinarienſes Principes nouem ſectas, harumq; ſingulas multarum hæreſium reas proſcribunt. Quæ quidem ſectæ non modò vos damnant ſingulæ, ſed etiam ſeſe ipſæ mutuò hæreticas eſſe proclamant. Quot ſcelerum te, hæreſiumq; authorem, oſtendit ſchola VVittenbergenſis? Quot tu contrà in proximo libro Melanthonem? Prouoco ad ſcripta veſtra de his ludis edita; ac niſi decies crudeliora fuerint in ſeſe, quàm hîc recitantur à

me,

me, patiar malæ fidei notam mihi inuri: nec, si fortasse, qui vobis est mos, inficiari velitis, desunt vestri complures libri, testes mutuæ inter vos de hæresę damnationis. Aduersus Gœppingensem Smidelinum siquis forte scripturus est, colliget ista de moribus concordiaq; vestra suffragia publica. Hoc in loco satis est, certò agnosci, vos non de stipulis aut fœno gladios stringere: nec tã de terminis, quàm de possessione dominici agri, de ipsoq; possessionis titulo sociale bellum gerere. Istæ autem assertiones vestræ cum sint de solidis membris & articulis Christianæ fidei; cumq;

etiam

etiã vestro iudicio sint erroneæ: vt hæreses sint, necesse est: cũ deniq; eas-dem assertiones, quas esse erroneas fatemini, defenditis pertinaces: ecquid non manifestò hæretici estis? Sit ergo id nunc à me responsum Illyrico, me vnà cum ipsis fateri esse inter Euangelicos & in horum doctrina & societate manifestas hæreses & schismata, & ea horrenda (vt ipsorum vtar vocabulo) quidem: quos tamen errores suos, cõtumaciter inter sese, maximoq; orbis tumultu propugnant: & ob eam causam quoq; illos planè hæreticos & esse & dici oportere. Iam id restat, vt doceã dissensiones quidem

dem & esse & fuisse semper in Ecclesia: at quo nam modo? Nimirum aut de subtilibus illis theologorum disputationibus, quas inuestigandæ veritatis causa, Ecclesia non modò non damnat, sed præmijs ornat etiam: aut de rerum quotidianarum commercijs, vt de iure & possessione ecclesiasticorum bonorum, de dignitatum gradibus, de collatione sacerdotiorum, aljsq; generis eiusdem. Quis autem ita inhumanus, rerumq; est humanarum imperitus, vt postulet ab Ecclesia, ne istis de rebus clerus inter se litiget, aut iure contendat? Licitum enim id per se esse, scriptura S.

nos

nos docuit. At si quis idem tamen fraudulenter, si quis seditiosè, neglectæ charitatis vitiū est, non crimen hæreseos. Quanquàm verò vtrumq; malum est, sed minus tamen, quod ad priuatos mores pertinet: maius, quod aduersus fidem committitur, quoniam id ad vniuersos quodammodo redundat: eoq; fit, vt hoc acriter radicitusq; extirpandum sit, illud aliquando tolerādum propter infirmitatem peccantis personæ. Huc spectat, primum lex Christi, vt qui Ecclesiam audire non velit, sit nobis tanquam ethnicus & publicanus: deinde illud Pauli, Hæreticum vita. Et iterum:

rum: Tollite malum è vobis: quia serpit hæresis tanquàm gangræna, ferro secanda est, igni exurenda. Rectè itaq; censet Ecclesia, quando hæresis est violatio diuini iuris, pœnam sequi oportere, vt hæretici igne concrementur, memoriaq; eorum vnà deleatur cum cinere. Quamobrem etsi exortæ in Ecclesia hæreses fuerunt semper, attamen, quoniam ab Ecclesia exierunt, de Ecclesia non fuerunt, abscidit hæc illas veluti putrida atq; contagiosa membra: non possunt itaq;, postquàm damnatæ renunciantur, esse in Ecclesia propriè dici. Quia enim cum vna fides sit in Ecclesia, & hæ-

resis semper varijs inter se discordijs diuisa, impossibile est, eritq; in æternum Illyrico, commonstrare, vel vllam esse nunc, vel quondam fuisse in Ecclesia hæresin. Quemadmodum igitur nego vllas hæresium discordias esse apud nos: ita fateri vos oportet, esse in Ecclesia multa prauorum morum zizania: quæ sæpe de meo & tuo, deq; mutuis fraternæ charitatis officijs, non de rectitudine fidei, pariant graues contentiones: quas tolerari oportet, cum funditus euelli non possint. Hinc sanè Mathia Illyrice responsionem in te meam ordiar, primumq; id quæro abs te, cum

Barna-

Barnabas dissentit à Paulo, aut Paulus à Petro, quo de iure id fuerit dissidium? si de diuino? aut de fundamento fuit & aliquo articulo fidei, aut de re leuicula quapiam. Si de iure positiuo? nihil ad articulos fidei. Barnabas Marcum voluit socium itineris, Paulus non voluit, quid hæc dissensio ad articulos fidei? Priuatæ affectionis motus fuit, non commotio in fundamento fidei. Petrus cum esset Iudæus, & viueret ethnicè, volebat ethnicos Iudaicè viuere. Vidit errorem Paulus, restititq; in faciem Petro. Qua de re fuit concertatio? Non sanè de iure

diuino, sed de humano, hoc est, non de articulis fidei, nõ de fundamento doctrinæ disceptabant, verùm de viuẽdi ritibus, more ne Iudæorum, an Ethnicorum Christianis liceat viuere. Et quoniam de hisce rebus externis nondum fuerat communi vniuersæ Ecclesiæ consensu ius vllum positum, peccauit quidem Petrus, at minus tamen, quàm si iam positiuum extitisset. Quin admonitus de errore Petrus, non dissoluit vinculum charitatis, nec cæterorum Apostolorum consensioni reluctatus est vlterius: vnde manifestò cerni potest, Petrum schismatis rebellionisúe crimen nullum cõmisisse.

misisse, multo minus hæreseos. Quòd autem se Cyprianus opposuit piæ admonitioni Romani Pōtificis, quo affectu id fecerit S. Martyr, soli Deo cognitum est, quo ipsius causæ euentu, tempus patefecit. Errasse Cyprianum certum est, atque, si post declarationem pleni Concilij, Catholico Christiani orbis iudicio non obtemperasset, in hæreseos censuram incurrisset procul dubio. De anabaptizandis his, qui ab hæreticis erant baptizati, dogma Cypriani ne Lutherus probauit quidem, cum rectè damnatum id ab vniuersis viderit. Falsò autem prorsus, moreq; suo Illyri-

cus, cum ait Cyprianum disceptasse cum Cornelio de primatu: nam D. Cyprianus multis in locis primariæ dignitatis honorem defert Romanæ Ecclesiæ, tanquam sedi apostolicæ. D. Basilius sua ad Samosatas epistola conqueritur de litigatione sacerdotum: & ad clerum Cæsariensem scribens, excusat nouos, quos introduxerat, psallendi modulos: & volumen de S. Spiritu abs se absolutum, concludens, præsentis Ecclesiæ statum describit, narratq; illarum tempestatum procellas. Quid autem hæ litigationes cleri de rebus positiuo iuri subiectis, ad excusationem vestrarũ hæ-

resium?

resium: Olim concertarunt de collatione dignitatum inter se sacerdotes Samosateni: ergo hæreticæ dissensiones Lutheranorum etiam tolerandæ sunt. Quasi verò nos, quid exemplo demonstretur aliquando patratum, id nobis iure existimemus licere, & quidem in re dissimilima. Deplorant æquè veteres, ac recentiores theologi miseriam Ecclesiæ & afflictiones, damnant malos mores cleri, hæreticorum sparsa venena execrantur: quid igitur? Quoniam fuerunt Ecclesiæ semper cruenta certamina cum sectarijs: vestræ discordiæ eam ob causam non sunt hæreticæ:

Sic Illyrica dialexis : Aristotelica hoc modo. Ecclesia Catholica fundamentum veritatis est : veritatis autem fundamentum errorem nescit, hæresin non tolerat : iure itaq; iampridem vos, vestrasq; discordes sectas, damnauit, deuouit, eiecit foràs Ecclesia. De Origenis doctrina, quamuis alij durius censerent, alij mitius, quo genere criminis damnanda fuerit, disceptatum esse, verum est, quis refellit? sed illud non verum, quod subindicat Flacius, Chrysostomum, quia in Origenis fauorem propensior fuerit, defendisse eius errores, aut suscepisse vllo pacto. Litem scimus

fuisse

fuisse Romanis Pontificibus cum Constantinopolitanis Patriarchis, vtra sedes primaria sit, vtri altera debeat parere; itemq; sit ne Romanus Pontifex iure diuino successor Petri, an humano. Quid (quæso) hæ quæstiones ad hæreses & discordias vestras? Nemo theologorum vnquàm, nemo iureconsultorum, ita insaniuit, vt, cum discepta-tur, sit ne hæc lis vel de humano iure, vel de diuino, hanc ipsam disceptationem, diceret esse hæresin? Frustra itaq;, prorsusq; ineptè hæc dissidiorũ exempla, quæ iuris positiui canonibus & iudicata in Ecclesia, & dirempta sunt, obtendun-

tur hæresium Lutheranicarum ex-
tenuationi, in fraudem iuris diuini.
Fuit inter Augustinum & Hiero-
nymum, non de authoritate scri-
pturæ S. sed de versione, tũ Græca
tum Latina, disputatio: dum hic
Hebraicæ linguæ peritia confisus,
translationes aliorum negligere vi-
deretur: illeq; vicissim nouitatis stu-
dium reprehẽderet in Hieronymo,
vetustam 72. seniorum editionem
laudaret, quod hæc non incertis
miraculis diuinitus agnoscceretur pa
tefacta. Ea inter hos tam præ-
claros Ecclesiæ doctores, amica ve-
litatio de versione, similibusq; Ec-
clesiæ negotijs, num habet vllam

hæreticæ

hæreticæ dissensionis speciem? Si omnis discordia hæresis est, quæ natio, quæ vrbs, quæ domus tandem, aut priuata familia, non erit hæretica? At est absurdum hoc, cum in Catholicæ religionis fide nõ vrbes modò, sed regna etiam & gentes plurimæ vnanimes, concordesq́, & sunt, & erunt semper. Postea verò Illyricus, quàm satis se firmum iecisse causæ fundamentum putauit, quippe si similes inter Apostolos sanctosq́ patres discordias, quales inter Lutheranos videt, esse persuadere conatus est, ad rem vult videri propius accedere: trahitq́ in argumentum, quia

sint

sint non solùm singulis hominibus, sed & vrbibus, & prouintijs patroni peculiares, vt S. Marcus Venetis, Sanctus Stanislaus Polonis, Borussis S. Albertus: eaq; de causa, cum Catholici tam diuersos sibi patronos accersant & tutelares, dissidere illos in doctrina Christianæ religionis. Bella ne isthæc ratio est? Catholicorum alij Petrum Canisium malunt, alij Mathiam Citardum concionantem audire, cum licet vterq; in suo genere excellens sit, neuter tamen docet ab altero diuersum, nec Catholici, qui vel hunc, vel illum libentius audiunt, idcirco discordes censebuntur.

Alius

Alius Patauini medici opera vti mauult, alius Bononiensis, alius Salernitani, alius alterius: idcirco ne medica ars praua est, vel penitus sunt in arte sua medici discordes, vel ægrotantes de medicina dissentiunt? S. Vlrichum patronum colunt Augustani ciues, quia euangelium Christi ea in vrbe instauravit, miraculis illustrauit, propagauit aliô etiam Salisburgenses contrà D. Rubertum, quod & ipse fuit in Alpibus illis primarius euangelij Apostolus. Eadem de alijs ratio & causa est. Sed quid inde dissidij colligis, demens Illyrice? Addis præterea istis ineptijs, vt vanitatem

tuam

tuam cum pernicie religionis Christianæ coniungas, homines omnem salutis suæ fiduciam in Sanctorum Patrocinijs collocare, eisq; honores diuinos, qui soli Deo debeantur, tribuere. Sed verum istud non est, flagitiosè, falsòq; criminaris omnium temporum Ecclesiam. Quo honoris titulo & iure inuocentur Sanctorum suffragia, alio spectat, satisq; est explicatum ab alijs, ego non disputabo nunc. Hinc tandem accedit homo sterquilinarius ad examen S. Canonum, theologus nimirum, qui nullum vnquàm à quoquàm mortalium, quid Canon sit, audiuit, didicit non dicam.

Quæ

Quæ aũt ista est, ô stultissime Flaci, arrogantia? quæ, supraquàm credi possit, superbia tua? Nulla vllius hominis ætas satis esse potest, vt scientiam Canonum mediocriter, quanta illa sit, queat perspicere: tantum abest, vt meliora eis proferre possit. Tanta est canonum inter ipsos consensio, tamq; necessariò cohærens mutuo nexu disciplina, vt tu Illyrice indignus sis, qui, quæ illa, & quanta sit, debeas cognoscere. Contrariæ reperiuntur sanctiones. Ingens peccatum. Quibus autem in rebus? in ijs ne, quæ sunt iuris diuini? Auertat Deus: prudentiores enim dedit

dedit Deus semper Ecclesiæ suæ œconomos, quàm tale vt flagitium committerent. In illis igitur, quæ iuris positiui? Ita prorsus & rectè quidem. Quia enim dubium non est vlli Christiano, œcumenicum concilium vniuersæ Ecclesiæ Catholicæ personam quasi repræsentare: cum hæc ipsa Ecclesia sit (magistro Spiritu S.) legitima fidelisq; scripturarum, ac iuris diuini interpres: quia nec addit substantiæ diuini verbi quippiam, quod abesse oporteat, nec subtrahit, quod adesse necessario. Cumq; hoc præstet fideliter, nec id solet negligere, quo rectius generales illi ex diuino iure

deriuati

deriuati Canones singulis personis pro diuersitate diuersorum casuum applicari possint, atque dispensari, quinetiam ex circumstantijs, quæ circa substantiam diuini iuris versantur, ius formet positiuum, & ex hoc consimiles sanciat Canones: qui, sicuti communi Catholicæ Ecclesiæ consensu sanciti sint ac recepti pro temporum, atq; locorum opportunitate, sic queãt eiusdem Catholicæ Ecclesiæ consensu mutari, queant deleri, queant reponi dissimiles atq; diuersi. Quid hac in re hæretici dissidij est? Est, inquis, vbi Canones matrimonium concedunt sacerdotibus (vt dist. 31. c. Nicæna

Synodus) ; est contrà (vt dist. 32. c. Seruanda est igitur) vbi adimit penitus. Nunquid contraria hæc non sunt ? Diuersa sunt, fateor, & relatiua oppositа, non contraria : quoniam matrimonium non opponitur cœlibatui tanquam ignis aquæ : nec priuatiua sunt, quoniam non omnis homo natus est, vt sit coniunx : atque si esset, necessariò, nisi copularetur, eum aliqua parte sui priuari oporteret : quod autem cum non eueniat, necessitas ducendæ vxoris imponi debet nemini. Quare etiamsi ipsum matrimonium res sacra est, planeq; diuini iuris, nec, ne non sit, vlla ho-

minum

minum authoritas potest efficere: certum tamen est, coniugium, non ratione ipsius rei, sed respectu personarum, esse adiaphorum, vt liceat ducere, qui velit, qui nolit, & hoc liberum esse, vt liceat non ducere. Eamq; ob causam D. Paulus, Dico autem, inquit, cœlibibus (ἀγάμοις) & viduis, ipsis bonum est, si maneant sicut & ego. Hoc dat consilium Paulus, cœlibatum suadens: illud contrà non continentibus, Si non continent, inquit, ducant vel nubant: melius enim est nubere, quàm vri. Vtrumque esse bonum affirmat: sed alterum

tamen altero esse melius: quoniam qui ducit, inquit, bene facit: qui nõ ducit, facit melius. Idcirco & D. Gregorius Nazianzenus cœlibem vitæ statum sic carmine celebrat.

ὅλβιος ἀζυγέων μακάρων βίος, εἰ δὲ θέτηος
εἰσὶ πέλας καθαρῆς, σάρκ' ἀποσευσάμενοι.

Hæc sanè in vtramque partem diuinitus concessa libertas, ex personarum circumstantijs præbuit necessitatem Ecclesiæ, vt vigore iuris positiui sanciret de vtriusq; libertatis conuenientia certos canones: sicuti factum esse videmus, & hac lege prorsus: quia enim in neutro libertatis genere vltimus finis poni debet, sed medius quispiam, ad vl-

timum

timum qui ducat, videlicet, vt carnali soboli procreandæ seruiat connubium, spiritali, cœlibatus. Hoc ex vsu Ecclesia ponderans circumstantias locorum, temporum, atq; personarum, canones diuersos proposuit: Græcis enim Ecclesijs & Orientalibus, propter eius gentis & loci conditionem, concessit Nicæna Synodus coniugium, non vt omnes oporteat ducere, sed vt liceat, cui lubeat: Latinis occidentalibusq; Ecclesijs nõ concessit, quòd hæ & fidei Catholicæ constantia, & honestate sanctioris vitæ semper Græcis plurimum præcellebant: quòd item sese vltrò obstrinxerant

voto casti cœlibatus: vnde d. 32. Stephanus Papa ait, Occidentalis, non orientalis Ecclesia castitatis votum obtulit. Aliter se orientalium Ecclesiarum traditio habet, aliter huius Romanæ Ecclesiæ, Nam earum sacerdotes, diaconi, aut subdiaconi in matrimonio copulantur. Istius autem Ecclesiæ, vel occidentalium Ecclesiarum, nullus sacerdotum à subdiacono vsq; ad episcopum, licentiam habet, coniugium sortiendi, &c. Cuilibet Christianorum, antequàm vouit cœlibis vitæ castitatem, licet ducere, si vir est, si fœmina, nubere: postea verò, quàm vouit, vt abstineat,

at, neceſſe eſt. Atqui huius poſitiui iuris Canonem inſinuaſſe videtur D. Paulus, cum ſic quærit. Alligatus vxori es? Ne quæras diſſolutionem. Solutus ab vxore? Ne quæras vxorem. Vtrobiq; libertatem propoſuit D. Paulus, vt ſi velis ducere, poſsis hoc honeſtè facere, ſin nolis, poſsis cœlebs viuere. At verò tum amplius liberum eſſe non voluit, vt, cum duxeris, licitum ſit ab vxore ſolui: vt, cum cœlibem vitam voueris, rectè queas à cœlibatu ſolui, copulari coniugio. Hæc cum ita ſint, Illyrice, quam tu hîc diſcordiam fingis? quã hæreſeos notam aut ſchiſmatis

inde collegisti? Vides ne, quàm ineptus sis in doctrina Canonum? quàm temerarius in aliena Republica nouator? quàm strennuus recte dictorũ calumniator? Prius disce, quæso, quàm doceas: prius experire, quàm operere: ne, cum tu idcirco & ineptus sis, & nefarius, quia & doces, quæ non fecisti, & facis, quæ non didicisti vnquàm: seducta multitudo scurrilem vanitatem secuta tuam in perpetuam ruinam secum trahat has miserabiles Germaniæ reliquias.

Decretum, inquis, quatuor modis censet posse animas defunctorum liberari, (vt est causa 13. q. 2.

Non

Non æstimemus, vt in præsenti): Contraq́, (caus. 24. q. 2.): Mortuos nec solui posse, nec ligari. Hos canones vult Illyricus contrarios esse, & ea de causa etiam æquè esse inter Catholicos, ac inter Confessionistas, hæreticam discordiam. Sacrilegum (quæso) hîc animaduerte decipiendi studium. Tria genera hominum sunt morientium: alij, qui citra moram, vt mortui sunt, cœlo excipiuntur, vt Apostoli, vt Euangelistæ, vt martyres, & similes, qui in vera fide per charitatem operante excesserunt hac vita: alij, qui in lethalis culpæ nexu obierunt, quales sunt ethnici, Iudæi,

hæretici, & qui sine pœnitentia vitam duxerunt flagitiosam, nullisq; possunt officijs iuuari amplius: alij, qui tametsi in fide per charitatem operante migrarunt ex hac vita, tamen quia non expiarint temporalium pœnarum satisfactiones, illo in seculo vt eas pœnas satispatiendo dependant, necesse est, nisi pijs precibus iuuentur, & ieiunijs, & eleemosynis Ecclesiæ. De hoc vltimo genere loquitur decretum caus. 13. q. 2. de secundo respondet Gelasius Papa, caus. 24. q. 2. Nec nisi & oculis cæcutiret corporis & animi Illyricus, in margine glossam potuisset legere homo perueršus,

uersus, nisi sciens volens q; omnia peruertere conaretur. Nam quidam hæretici, inquit glossa, in ciuitate Constantinop. postulauerunt à Fausto Apostolicæ sedis legato, vt veniam sibi concederet: nolebant tamen corrigi de errore. Item petebant, quòd hæretici, qui iam defuncti fuerant, absolueren-tur. Quare legatus quæsiuit à Gelasio, vtrum hoc esset faciendũ. Respondit, quòd nõ, quia sub isto cœlo nec exemplum inueniri, vt remanentibus in errore venia concedatur. Sic glossa. Nec verius quicquã dici aut rectius potuisset. Pro his enim, qui vel in hæresc moriuntur,

vel

vel in aliquo manifesto mortiferoq; flagitio, cuius non pœnituerint eos in hac vita, certum est nullas preces valere: contraq; pro illis, qui in Catholica fide & vera pœnitentia decesserint, valere vehementer, Ecclesia nunquam dubitauit. Iterum ne vides, Illyrice, quàm grandis sis, & strigosa bestia? Dicit Illyricus, decreto sancitum, quòd, qui communicet sub vna specie, committat sacrilegium, & hoc ex Pontificio Canone putat se probaturum, de con. dist. 2. cap. Comperimus. Præstigijs illudit nos homo Illyricus. Canonem, quem citat veterator, non de communione populari

pulari loqui, sed de peragendis diuinis sacrificijs, & præcedentes & sequentes Canones, qui solummodo de sacrificio missæ decernunt, testificantur. Ad Gelasium Rom. Pont. scripserant, Maiorícus & Ioannes, Episcopi, esse sacerdotes quosdam, qui inter sacrificandum, sola hostia vescerentur, à calice abstinerent: rescripsit Pontifex, grande id esse sacrilegium, cum vtraq; species ad planiorem Dominicæ passionis demonstrationem sit necessaria in sacrificio missæ, vnã speciem sumi, alterã repudiari. Quæso te, ô homo, si homo tamen es, qui vel audire possis, vel vti ratione,

primum

primũ quid ist hæc allegatio ad excusandas discordias vestras: deinde quæ vnquam fuit Græcis cum Latinis de vtraq; aut de altera specie contentio, siquidem hi vnam porrigant populo, illi vtramq;? Nulla vnquã, nisi Husso & Luthero authoribus. Binas species sumit sacrificans sacerdos, vnam accipit laicus, integrum Christum vterque: quid hac in re periculi est? quod discordiæ venenum? Cur obtendis authoritatem Pon. Gelasij errori tuo, cum hic de missa, non de communione decretum ferat? Ganconem terra non tulit hoc Illyrico impuriorem. Alij, inquit, alia habent

bent Breuiaria, alia Missalia, alias Cæremonias. O grande nefas. Diuersi sunt Monachorum ordines. O irreconciliabilis discordia. Vtinam nos Germani expenderemus, quam admiranda Dei sapientia in hac rerum diuersitate recõdita lateat. Potuisset Deus omnes mortales ad vnius certi hominis effigiem creare, si voluisset, cum tanta sit, & ingeniorum, & facierum varietas, vt vix inter decem millia inuenias duos, qui facie eadem sint, aut ingenio similes. Cur autem? Hæc Dei infinitæ virtutis laus est, identitatem seruare in specie, in individuis diuersitatem,

vt

vt ex vtriusq; commixtione earum, quas creauit, rerum consistat perfectio. Vna scriptura sacra cunctis est Catholicis, vnus etiam illius & Orthodoxus intellectus, vnus magister, vnus mediator homo Iesus Christus. Hac in vnitate, propter varias & locorum, & temporum, personarumq; circumstantias, insignis quædam est diuersitas: quæ sic virtutem matrem colit, vt filias huius ex suggestu templi producat in forum, in curiam, in singulas domos. Et hoc expressit Gregorius Nazianzenus suauissimo versu.

ἄλλης ἀλλοίων ἀρετῶν ὑποχώρας ἀγοῦσης,
πολλαὶ γὰρ πολλῶν εἰσὶ μοναὶ βιότων.

Scilicet,

Scilicet, vt ex hac diuersitate diuersa emanarent iustitiæ præmia, ex illa vnitate communis per Christum iustificatrix gratia agnoscerētur. Sed hoc ei, quem tu circumfers Illyrice, spiritui ignotum, & abscōditum est. Illud dicas velim, quoniam diuersis linguis locuti leguntur Apostoli: ideone discordes? Monachorum varij quidem ordines sunt, sed idem Christus tamen: eadem scriptura, eadem fides, eadem sacramenta vniuersis. Alius se hoc modo iugum Christi commodius portare posse credit, alius illo, alius isto: cum omnibus eiusdem vnius ferendi iugi, eadem sit mens, eadem

voluntas. Ita quoq; ſtatuendum de Cæremonijs, de agendis, de breuiarijs: in quibus omnibus vnum eſt idemq; corpus, veſtitus diuerſus: quem ex conſenſu capitis pro commoditate ſua, & decori totius corporis cuilibet membro, hoc eſt, cuiuis particulari Eccleſiæ & ordini, peculiarem ſumere licuit ſemper. Quare autem, inquis, contendunt hi, quod ordo ſuus præſtet: illi cõtrà, quod ſuus? Quia homines ſunt, de quibus rectè dici poteſt, quòd ſi negent ſe peccatum habere, veritas in eis non habitet. Luctatur enim & in monachis caro aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem: atq;

atq; ne succumbat spiritus, vincat caro, mundi illecebras disciplina monastica vitare studeant: tametsi sic euitare plerique non possunt, quin etiam in id superbiæ malum impingant nonnunquàm, vt regulam sui ordinis meliorem esse glorientur, deteriorem alterius. De Scholasticorum doctorum discordijs sibi censuram vendicat homo ineptus, sumitq; sibi de tantis viris iudicium, quos ne legit quidem vnquàm, tantũ abest, vt quoquo modo rectè intellexerit. Per occasionẽ fortuito, opinor, aspectu, si quando voculam arripiunt isti homunculi, quam putent non sic dictam

oportuisse, mox eam censura collisi cerebri sui feriunt. Ne autem ego & tempus inutiliter teram, & ineptias stulti hominis cogar discutere, id ab eo efflagito, nominatim nobis vt enuntiet, num audeat dicere, dissensiones eas, quas inter se dubio sensu exercent Scholastici doctores, esse de iure diuino, hoc est, vel de solidis membris Christianæ doctrinæ, vel de ipsis fidei Catholicæ articulis: an verò de capillaribus venis, subtilibusq; illis & minutis intricatissimarum quæstionum spinis: an de iuris positiui emergentibus casibus. Hisce positis diuini iuris & humani differentijs, quid erit difficultatis

porrò,

porrò, quò minus discernere possi-
mus, vestræ ne potius, an scholasti-
corum doctorũ disceptationes sint
hæreticæ, sint errorum plenæ, sint
seditiosæ ciuilium contentionũ flam
mæ atq; faces: Punctim de his, non
eminus velitando, oportebat de-
terminare metas. Ego verò, ne,
quod præcisè constituendum fuit,
ambiguè pronunciem, nec quod in
specie tractãdum, generatim, quasi
per transennas, tractasse videar:
aio omnes Scholasticorum disce-
ptationes, quas ipsi inter sese dubio
contrarioq; sensu controuertunt, es-
se vel de casibus ad ius positiuum
pertinentibus, vel de minutioribus

theologicarum quæstionum spinetis, vel de his denique, de quibus adhuc nulla extent decreta Catholicæ Ecclesiæ: non autem de solidis Christianæ doctrinæ membris, non de ipsis fidei nostræ articulis, non de alijs quæstionibus per Ecclesiæ iudicium definitis. Huc prodi Mathia Illyrice: hîc, qui sis vir, ostende: hîc, quid valeas, declara: hîc etenim tibi, crede mihi, restabit insignis pro te, sectaque tua dicendi corona. Atqui verò dicis, Magistrum sententiarū lib. 2. dist. 25. & 26. asserere, adeò hominis vires corruptas esse, vt nihil boni queat penitus ex libero arbitrio facere,

cere, nisi Deus de nouo creet in illo nouum liberum arbitrium. Lutherus, tametsi aliâs iniquus erat & durus censor Petri Longobardi & Scholasticorum doctorum, haud dubiè tamen si istum hominem Illyricum talia nugantem audisset, exclamasset, Schawet wie sich der deliriſche Esel in der Theologi vordreget. Ait homo, & sui & honoris publici oblitus, Magistrum affirmare, adeò corruptam naturam esse, vt prorsus nihil habeat amplius liberi arbitrij, post lapsum: cum ista vesana Illyrica dementia ne somnianti quidem Magistro vnquàm venerit in mentem.

Triplicem ille eodem in loco, quem Illyricus allegauit, recenſet libertatem: vnam à neceſsitate: alteram à peccato: tertiam à miſeria: quarum poſteriores duas amiſſas dicit, primam duntaxat poſt lapſum hominis manſiſſe. Nec ab hac Magiſtri ſententia Scholaſtici doctores receſſerunt, ſed affirmant vnanimes, quòd alia ſit libertas naturæ, alia gratiæ, alia gloriæ: primam remanſiſſe, reliquas amiſſas eſſe ac perditas peccato primi hominis. Neq; ita ſolùm Magiſter, &, qui hunc frequentes ſecuti ſunt, doctores ſcholaſtici, ſed etiam Auguſtinus, etiam Chryſoſtomus, etiam Bern-

Bernhardus, Patresq; sancti omnes. Quid igitur nugaris Illyrice? Quis te spiritus in eos adegit Manichæos scopulos? Cacodæmon certè; qui te, Gallumq; tuum docuit, adeò naturam hominis corruptam esse, vt existimetis hominem non minus, quid Deus in ipso agat sentire; quàm incus, quid malleus. Perge Illyrice; habes Stoicos Manichæosq; magistros, habes ducem ipsum Sathanam, habes comites Caluinum, Amsdorphiũ, Gallum; dies vos docebit & supplicium, quos Eccles. Christi non potuit docere. De opere operato, decq; bonis operibus quod Scholasticis

doctoribus obijcis, tuum mendacium est Illyrice, non dogma illorum. Fingitis tu, tuiq; similes ista commenta, nemo Scholasticorum ita scripsit, nemo ita sensit, & si qui ita senserunt vnquàm, damnatos ab Ecclesiæ scito. Tuum erat nominatim dicta istorum, quos insimulas, asscribere, & quo in loco, & à quibus. At tu horum prorsus nihil, ne vulgo impostura pateſiant tuæ. Authoritas Erasmi nobis, sanctiq; Martyris Anglici Rofensis opponitur, affirmantium de argutijs Scholasticarum disputationum inter doctores esse lites; id si quis nostrûm negaret, forte cauillandi

haberet

haberet occasionem Illyricus: at verò quis refellit? Hoc quæro, hoc postulo, nobis edisseri abs te Illyrice, num Erasmus, vel Rosenses Scholasticos doctores affirmet dissentire de solidis Christianæ doctrinæ membris, discordes esse in articulis fidei, de fundamento contendere, hæreses tueri? Neq; Rosenses hoc, neq; Erasmus dicit: quò igitur tua ista spectat allegatæ authoritatis vanitas? Nimirum, vt te insignem declares impostorem, illos turpis mendacij tui testes cupias esse. Sunt contentiones inter Scholasticos, sed qua de re? de spinosis quibusdam & obscuris quæstionibus:

quæ

quæ si explicatæ sint, non parũ lucis possint alijs scripturæ locis afferre: sin minus, maneant sub iudice lites, nec enim inde quicquã capiet detrimenti Christiana respublica, nihil inde metuendum hæreseos, nihil schismatis: contenditur enim saluo charitatis vinculo, saluis Catholicæ fidei articulis. An apud Lutheranos etiam? Libri horum legantur, conciones audiantur, non tentur schismata. Adeò ipsum Christianæ doctrinæ corpus conuulserunt, vt ne vllus quidem articulus vlli cohæreat, nec vllum suo loco membrum consistat amplius, sed fœdissimi monstri instar est corpus

istius

ustius sectariæ disciplinæ artubus di-
stortum, ipsa specie horrendum, vt
nulla Chimæra possit aut deformi-
tate fœdior, aut intuitu horribilior
fingi vel cogitari vnquam. Quod
cum sit in libello meo euidenter o-
stensum, nec ipsi obscurè turpitudi-
nem videant patefieri suam, cona-
tus est Illyricus idem in re ficta præ-
stare, quod in vera re mihi præstare
fuit facilimum. Vt nusquàm non
Illyricus sui similis appareat, nescio
quam, suam iactat Confessionem,
negatq; tantum vel eruditionis in
nostris theologis esse, vel nos ita
causæ fidere, vt ausi simus vnquàm
aliquam proponere fidei nostræ cõ-
fessionem.

fessionem. Si alius quispiam istud, videlicet homo mediocriter eruditus effutiret, mirandum esset omnino, in tot tamq; præclaris doctissimorum theologorũ monumentis non videre Catholicæ fidei confessionem: in Illyrico autem quid mirum? Potiorẽ ætatis partem is excogitandis conuitijs obtriuit, reliquam consumpsit partim in defendendis antiquis hæresibus, partim in reperiendis nouis. Quare nõ huic dementi homini, sed sanioribus, si qui forte rogent, vbinam, & quo au hore, integra aliqua extet fidei nostræ confessio: Respondeo primum, extare volumen de doctrina

Chri-

Christiana, authore D. Augustino: deinde de Orthodoxa fide, authore Ioanne Damasceno: præterea quatuor libros sententiarum, authore Petro Lõgobardo: deniq; S. theologiæ summam, authore D. Thoma Aquinate. Plures possem recensere, at satis isti, & abundè satis, atque adeò etiam, vt, si quis integrum Christianæ doctrinæ corpus desideret, is neq; perfectius aliquod, si veritatem spectet: neque concinnius, si methodum requirat: rectèq; docendi normam, meritò possit à quoquàm mortalium desiderare. Recentiores dare iubes? Do etiam. Nota est S. Episcopi Rosensis

edita

edita in Lutherum refutatio. Celebratum est Dominici Soti volumen de natura & gratia: multis nominibus laudata Confessio Polonica, authore Episcopo Osio. Nihil quidem ab his scriptum dictumúe est, quod & scriptum & dictum non sit ante annis plus mille: sed ita scripserunt illi tamen, vt & legitimam corporis compagem solidè expressérint, & dissolutas istas vestras, nullaq; calce cohærentes nugas fortiter refutarint, prostrauerint, obtriuerint. Conatur etiam Illyricus ex eo hæreticas esse apud nos dissensiones, demonstrare, quod disceptatum est, sit ne naturæ magis cõ-

ueniens,

ueniens, si Pontifex Rom. præsit Concilio tanquàm caput, an verò ille huic, tanquàm membrum, debeat subiectus parere. Quæstio sanè, quoniam de capitis est, & corporis harmonia, plurimum habet abstrusæ difficultatis, nec, si quæ à doctis hominibus in vtramq; solent partem afferri, vnquàm à limine audisset homo Illyricus controuerti, nullo modo tam arroganter nobis hoc certamen obijceret. Sed vtcũq; hæc vel grauis disputatio est, non tamen potest dici de aliquo articulo fidei dissensio. Quapropter siue verum sit, quod asserit Sorbona, Pontificem Concilio subijci o-

 portere,

portere, siue contrariũ, quod Scho-
la Bononiensis, nihil hæc dubia lis
ad certitudinem Catholicæ fidei.
Cum insigni impudentia, menti-
endi turpitudinem coniungit Il-
lyricus, cum idcirco hæreticas di-
scordias fuisse inter Patres Tri-
dentini Concilij asseuerat, quod
Ambrosio Catharino, cum Do-
minico Soto disceptatio fuit de cer-
titudine diuinæ gratiæ. Nam quẽ-
admodum vestra assertio, quòd
sola fide possit homo certè statu-
ere se esse in gratia Dei, omnino
Eunomiana hæresis est: sic con-
trà, veritas Catholica, quòd ne-
sciat homo, amore ne, an odio di-
gnus

gnus sit, cum nemo scire possit, (speciale priuilegium excipitur, quale Maria habuit & Petrus) an perseueraturus sit ad finem vsque, vel non, an morti prædestinatus, aut vitæ. De vtraque sententia inter Patres Tridentini concilij disputatum est explicandæ veritatis causa: estq; prior ista, quoniam impia & Eunomiana hæresis est, concordissimo iudicio legitimè damnata, atq; reiecta: altera admissa in subtiliorem discutiendi modum. Punctus autem huius controuersiæ, quæ inter Sotum & Catharinum est, versatur in eo, quòd hic affirmat, posse hominem

se esse in gratia Dei scire ex fide per charitatem operante, non tamen tanta certitudine, quanta est Catholicæ fidei: ille contrà, non posse, sed tantum queat habere certitudinis, quantum probabiliter ex eo, quòd diligat, valeat statuere. Illyricus ex hac Dominici Soti Catharinique lite, putat se euincere, inter Catholicos esse hæreticas dissensiones: at quid theologo indignius, quàm, quale hoc genus disceptationis sit, non animaduertere? Insignem Illyrici impudentiam sua ipsius prodit confessio: scribit enim Sotum Scoti viam in suis disputationibus sequi malle, quam antiquorum Patrum:

trum: cum Sotus sæpe contra Scotum, & veteres producat, &, qui horum fidelis collector est, S. Thomam Aquinatem: vnde manifestò cerni potest, Illyricum nec veteres vnquam, nec recentiores, nec legisse aut Soti aut Catharini scripta, sed arripuisse voces aliquot feruore disputantium, animoq; permoto effusas. Crede mihi, neutrius theologi opera, Catharini Venetijs, Soti Lutetiæ emitti in vulgus proceres concessissent, nisi dubiæ litis rem cognouissent esse. Nihil pœnæ cupio suæ temeritatis luere Illyricum, nisi, vt scripta vtriusq; doctoris legat: at legat (inquam) non vol-

uat: & legat hoc pacto, ne tergiuer
setur, sed alterutrũ è duobus faciat:
aut, vt polliceatur se effecturum, ne
vlla remaneat necessaria deinceps ea
in quæstione dubitatio: aut, si id se
videat præstare non posse, sinat
istam inter Catholicos Doctores
agitari quæstionem, quoad ex illa
disputationum collisione, veritatis
scintillæ emicent clariores: cum
neuter illorum interea neq; charita-
tis soluat vinculum, neque præiu-
dicet quicquàm vlli articulo fidei.
Sed nefas esse duco hæc mysteria
à Care exigenda, in quo dubiæ
medicationis pharmaca experien-
da olim prudentes existimauere.

Pro

Pro euidentissimo argumento ducit Illyricus, quasi magnæ sint & hæreticæ contentiones inter Catholicos: quoniam, inquit, iam penè triginta annos conatus est Rõ. Pont. Concilium cogere œcumenicum, primum Mantuæ, mox Vicentiæ, deinde Bononiæ, postea Ferrariæ, ac denique Tridenti: sed ait tanta semper distineri Patres discordia, vt coalescere nullo pacis vinculo queant, nullo vnanimitatis consilio concilium inire: discordias igitur esse hæreticas in Pontificijs. Hoc, credo, eam ob rem nobis recitari ab Illyrico, quemadmodum de Ilienſibus olim dici solebat,

quod hi nonnunquam poëtas conducerent, qui recitarent Iliada Homeri, hoceſt, adulteria Paridis, gentisq; ſuæ patrata ſcelera: vt ſic etiam is homo Lutherani excidij penultimus Tros, aut minus etiam quam Tros, Cares nimirum, audiat ex me, quibus artibus hactenus, ne vllum haberetur Concilium, impeditum ſit à ſuis ſocijs. Vt alia omittam, Tridētinum verò Concilium an vlla poteſt hæreticæ diſſenſionis ſuſpiciuncula inſimulari, conuinci non dicam? Cōtenderunt inter diſputandum. Num poteſt fieri, cum (ſicuti in Concilijs conſuetum eſt) inter theologos, ſcholarum more,

de

de controuersis punctis in vtramq; partem disceptatur, veritatis explanandæ gratia, vt non alteri alter opponat, alter argumenta alterius oppugnet? Erant homines docti, cum Lutherani non comparerent, designati ad hoc munus, vt argumenta, quibus illi dogmata stabiliant sua, tuerentur inter disputandum. Si quid ergo disceptationis fuit, hoc fuit: in cæteris optimè cõueniisse inter Patres, vnanimes illi tot sanctissimi Canones abundè testificantur. Cur autem non est cõtinuatum? Non profectò, quia Patres discordes fuerint, sed quia, cum Vuittẽbergenses theologi hæ-

resium sibi conscij suarum, metue-
rent scelera sua Christiano orbi de-
tectum iri, armatum suum princi-
pem Tridentum miserunt, vt is fer-
ro ignique responderet in Concilio
pro Philippo Melanth. Norenber-
gæ simulante iter ad Concilium.
Eisdem technis cæteri Pontificum
conatus, ne vllum Cõcilium fieret,
repressi sunt hactenus: eisdemq;
impedient Lutherani, credite mihi,
& hoc, quod iam speramus, futu-
rum. Non metuo, ne, cum hoc le-
gerint Protestantes à me esse scri-
ptum, nunquàm illos in potestate
œcumenici Concilij futuros, mei re-
fellendi causa, vt ego mentitus vi-

dear,

dear, vertant se, Concilio pare-
ant: nunquàm facient: non inui-
debunt huic laudi meæ: mallent me
prudentem à Catholicos, quàm se
modestos existimari. Cumulat
multos diuersarum rerum abusus
homo curiosus, & his ipsam re-
rum naturam destruere machina-
tur, eoq; fuco prorsus, ne vulgus
vllum videat inter rem, reiq; abu-
sum, discerniculum. Recenset vi-
gilias, &, quæ pro defunctis ha-
bentur, curas: missas commemo-
rat: fraternitates vituperat: exagge
rat peregrinationes, indulgentias,
reliquias sanctorum. Nulla interim
fit mentio, cur in hisce omnibus,
& quo-

& quonam modo, statuat esse hæreticas inter nos discordias: sed ad hanc vnam regulam omnia reducit. Colunt Catholici fraternitates: sunt igitur hæreticè discordes. Venerantur Sanctorum reliquias, eorum loca inuisunt: sunt ergo hæreticè discordes. Legunt missas pro defunctis: dissentiunt ergo S. Patres. Monachi & sacerdotes vtuntur diuersis Missalibus, diuersis Breuiarijs: hæreticè itaq; contendunt. Eiusmodi nobis protulit ex Illyria Flacus analitica: quibus nunc fidem veritati struere docet Illyricus homo Germanus. Admiscet etiam historias, de Cusano, de Pio Secundo,

eundo, & pleriſq; alijs, & vt ſcelus ponat in ſcelere, fingit, quæ nuſquàm ſunt, & quæ ſunt, diſsimulat fraudulenter: & admiſcet ea penitus, quæ ad doctrinam articulosq; fidei nihil pertinent: quæ aut morum zizania cenſeri debent, aut de abſtruſis argutijs doctorum certamina: quæ etiam vel hominum inter ipſos, vti fert humana infirmitas, fuerunt priuatæ lites, vel aduerſus ſuum magiſtratum rebelliones: quæ deniq; fuerunt diſceptationes ad tribunal poſitiui iuris reuolutæ atq; determinatæ tandem. Nihil equidem hoc in loco ab Illyrico deſiderandum iudico, niſi vt

probet

probet eas istas inter Catholicos altercationes esse hæreses, esse corruptelas Christianæ doctrinæ, vel eiuscemodi schismata, quæ authoritate summi magistratus non sint vindicata, vel discordias tales, quæ vinculum publicæ pacis, sicut Lutheranæ discordiæ faciũt, soluerint. Postea verò, quàm satis petulanter superiorum temporum scholasticos doctores, qui iampridem pia in pace quiescunt, exagitauit Illyricus, ad recentiores os impurum conuertit. Ne autem nænias istas enumerem vniuersas, præcipua, sicut hactenus feci, capita discutiam. Ait librum eum, quem vulgò vocarunt

Interim,

Interim, dissentire secum: quia doceat gratis iustificari hominem absq; meritis operum: & mox contendat tamen bona opera esse necessaria ad salutem. Si is insanus homo, aliqua sana mente, vel hæc duo saltem cõferre posset, alterum Christi, cum iubet, vt, qui vitam æternam velit ingredi, seruet mandata: alterum Diui Pauli, qui affirmat vitã æternam esse gratiam: si hæc duo, inquam, rectè didicisset ad scripturæ analogiam exigere, væsanam ille suam stoliditatem non ita effutiret passim. Legat, si vult, hac de re D. Augustinũ de spiritu & litera, itemq; de fide & bonis operibus: ac tum

culpet

culpet deniq; librum Cæsareũ. Pari fatuitate nugatur de sacrificio Missæ, & alijs Ecclesiæ rebus, quarum nec doctrinam vllam habuit vnquàm, verum aliquem vsum multo minus. De Soti & Catharini disputatione supra dictum est. De monachis verò mendicantibus horrenda bella refert, & magna vulnera, vt ex his probet, quàm exitiales hæreses foueat Rom. Pont. Ac ne quis ipsum vanitatis posset arguere, allegat Catalogum testiũ veritatis suæ. Pergitq; inde ad ea, quæ Latinis Ecclesijs fuerunt olim contra Græcos disidia. Fatendum quidem est, fuisse inter vtrasq; in-

gens

gens certamen varijs de rebus, de quibus tamen in Florentino Concilio, maxima ex parte concordia inita est. Vtræ autem Ecclesiæ illius Schismatis authores fuerint, nec ipsi Græci dissimularunt: nec ira Dei, vindex iustissima reticuit, vtri parti adiudicarit causam, cum Romanam Ecclesiam hactenus incolumem conseruarit, dissiparit Græcam: quæ (perinde, atq; nos Germani nunc) dum Petri Apostoli sedem iudicem non ferebat, iam ferre cogitur Turcicam seruitutem, vindicē rebellantis contumaciæ. Quod item Illyricus ait, Catholicorum aliquos liberè fateri, varios esse in

Ecclesia abusus, mores Cleri turpes, opusq; esse magna quadam reformatione, rectè hoc Illyricus: quis vnquàm sanus non idem confessus est? Sunt, inquit, qui negent. Falsum istud est Illyrice, & abs te confictum: ego Catholicũ, qui id malum, non solum non agnosceret in Ecclesia, sed non deploraret etiam, audiui neminem. Tuũ erat proferre illos nominatim, qui nam illi sint, ac cũ eos ita sentire edocuisses, istud Medeæ obijcere, Video meliora proboq;, deteriora sequor. Sed antiquum obtines, manesq; constans in proposito, vt crimineris omnia, nihil dicas ingenuè: nec mirum id est,

quia

quia nihil facis à sessore tuo alienum. E cuius pharetra etiam isthæc deprompsisti spicula: Papistæ aiunt, inquis, Christum quidem passum pro nobis, & cruci affixum, mortuumq; esse: at nos nihilo minus volunt, per bona opera cõsequi salutem: cum D. Paulus planè testetur contrarium, quando, si ex lege iustitia est, Christus frustra sit mortuus. O subtile acumen, & dignum Illyrico. Nullũ hic theologus vult esse discrimen inter hoc dictum D. Pauli, Arbitramur fide hominem iustificari sine operibus legis: & illud eiusdem, Cum timore & tremore salutem vestram operamini.

Non videt acutus philosophus plurimum interesse inter terminum à quo, & ad quem. Tametsi nihil certius, quàm gratis iustificari hominem absq; vllis bonorum operum præcedentibus meritis: ideo tamen nec illud falsum est, iustificatum oportere per eam, quam accepit ex merito Redemptoris gratiam, operando salutem consequi. Nugetur Illyricus atq; deliret, quantum volet: nunquam ille isthæc tam aperta scripturarum ac firma fundamenta suis peruertet glossematis: quæ iam olim, ut alios taceam, vel vnus Augustinus ita obtriuit, inuitis Pelagianis, vt nefas existimem aduersus

Carem

Carem hominem eadem reuocare in certamen. Simile est, quod continuò subtexit, nugamentum. Papistæ docent, inquit, culpam peccati per absolutionem tolli quidem, sed non tamen pœnam peccati. Quin & hæc, inquit, cõtradictio est. Audio Illyrice. Audi tu vicissim. Quin & hæc calumnia tua est. Nemo Catholicorum eo modo vnquàm, quo tu, istha:c effari solet: sed omnium est eadem hac de re sententia: per absolutionem, & culpam peccati & æternam pœnam tolli, temporalem non æque semper: quemadmodum Dauidis clades possint nobis esse argumento. Sed hæc

crassiora fuerunt: iam argutiora tentat Illyricus. Varia, inquit, ieiunia habent Papistæ: sunt igitur hæreticè discordes. Et mox ex eodē topico. Vouēt monachi castitatem, paupertatem, & obedientiam, cum sint luxuriosi, cum sint diuites, cum sint rebelles: sunt ergo hæreticè inter sese discordes. Si quis hîc de baculo, aut de angulo mentionem faceret, credo id non decere, cum Illyricus Vvittenbergæ in hypocausto suo professus sit analytica Aristotelis. Quo magistro & hæc bellè habet analysis. Lutherus dixit, Papistas orare sine intellectu, sine affectu, cum contradictione:

sunt

sunt ergo inter Papistas hæreticæ dissensiones. Historiam refert Illyricus, cuius authorẽ fecit S. VIricũ episcopum Augustanum, de repertis, nescio vbinam, ad monialium cœnobia infantium multis capitibus. Similem Historiam à Luthero narratam audiui: in monumentis autem S. VIrici scio non reperiri: cum in cœnobio eo, in quo corpus eiusdem S. Antistitis supersit Augustæ, istius historiæ nulla syllaba extet vsquã, haud dubiè, si alicubi, certè hoc in loco, vbi & vixit, & excessit vita, cæteraq; illius omnia reperiũtur, & hoc reperiendum quoq;. Nec causa probabilis vlla est,

cur nobis fragmentū cuiuſdam Vlrici obtrudatur pro S. Vlrici Epiſcopi Auguſtani opere: ſed aut eſſe huius, legitimè probet Illyricus, aut commenticium hominis ignoti atq; incerti figmentū, fateatur eſſe: quãdo vnde prodierit illa fabula, pro certo ſit compertum antea nemini, niſi hoc tempore, res iſta audita: abs te Illyrice, tuiq; ſimilibus inuentum quoddam eſſe, potius homines cordati crediderint, quemadmodum enucleatè iſtius hiſtoriæ aniles nugas refutauit D. Faber Auguſtanus: dum ex collatione temporis oſtendit, nec D. Vlricum vixiſſe vllius ætate Nicolai Pontificis, ſicut

tu

tu asseueraſti, nec vllum tale cœnobium, quod tu fingis, esse in rerum natura: sed vel abs te confictam fabulam esse, vel ab alio nebulone quopiam. Verùm licet Illyrico in vsum Ecclesiastici operis sui id genus historias comminiſci: cum veritas desit, vt veri similitudinẽ mentiatur conficta ſpecies veri: qua sibi persuadeat, Lutherum esse tertium, se quartum Heliam, nobisq; liceat illud viciſsim Ennij occinere,

Quàm ſimilis ſimia eſt, turpiſsima beſtia uobis.

Sed redeamus ad contradictiones tuas Illyrice. Papistæ orantes dicunt, Pater noster, & tamen dubitare iubent de gratia Patris. O os

impurum & mendax: quis Catholicorum vnquàm de Dei gratia iussit dubitare? Imò confidere iubet Christus, imò non diffidere docet Ecclesia. De inani autem hæreticorum fiducia, quam citra omnẽ charitatis pœnitentiæq; necessitudinem sectarij iactitant, non Patres s. tantum: sed & ipse D. Paulus disertè nos monet nostræ infirmitatis, exhortans, vt, cum timore & tremore operemur salutem nostrã: ne, cum stemus, labamur: ne stultè nobis temereq; persuadeamus de constantia, quãdo incertum est, perseueraturus ne sis ad finem, an casurus. Eam Illyricus quæstionem solius mortuæ

fidei

fidei imaginatione ratam esse statuit atq; firmissimam, nulla habita ratione spei, nulla charitatis, nulla pœnitentiæ, nulla bonorum operum. Et hæc omnia, cum homo seditiosa arrogantia nobilior, quàm doctrina, non intelligat, somniat implicari, nescio quam, contradictionem, & huius vocabuli, & illius, de qua potissimum agitur, rei ignarus. Vanum quoque ac falsum omnino, nec vnquàm à viris assertum Catholicis, hominem, si faciat quæ in se sunt, Dei mereri gratiam. Pelagianum id esse, non Christianum, hactenus asseruerunt Maiores nostri. Quanquàm hac in re aliquis

fortè

fortè lapsus Scoti potest esse, cùm disputat de merito congrui: at profectò nequaquàm tale meritum illud voluit esse, quod de condigno queat gratiam eam, qua homo fit Deo amicus, mereri: sed aliud quod dã credidit esse genus meriti, quod tamen in hæreseos crimen arbitror trahi non posse, quandoquidem apertè nihil de eo definiuit Ecclesia. Plerunq; hic arator bis repetit, aut sæpius etiam, idem negotium. Satis est supra à me ad eandem rem responsum: non enim æquè, vt illũ, me delectat tautologia. Eiusdem generis est, Catholicos affirmare, posse hominem omnia diuinæ legis

gis præcepta ex propriis naturæ viribus perfectè implere quoad substantiam præcepti, non præcipientis. Sciant autem omnes pij & Christiani homines, non Catholicorum eam esse sententiam, sed dementiam Illyrici, hominis temerarij, ea, quæ nunquam aut legit, aut didicit, asserentis. Negant theologi simpliciter ex corruptæ naturæ viribus hominem posse, etiam quoad substantiam præceptorū, præstare omnia diuinæ legis mandata, sed illum impingere sæpe, nec obseruare omnia. Alia deinceps quæstio est, quātum homo valeat regeneratus diuina adiutus gratia. Verum hæc

apud

apud Illyricũ velle edisserere, perinde est, ac si ad harmoniam cantes asino. De pœnis verò illis, quas, si hîc expiatæ nõ sint, aiunt theologi, restare temporales post obitũ vitæ, ac posse ieiunijs, eleemosynis, precibusq; nostris, inprimisq; iugi missarũ sacrificio mitigari, est hoc dogma ita & sacris confirmatum literis, & Patrum S. testimonijs defensum, vt indignus Illyricus meritò iudicandus, quo cum vllum verbum de eo cõmutem9. Nec hercule video, quid hæc ista coaceruatio faciat ad præsens institutum. Probaturum se recepit Illyricus esse in Papatu disidia hæretica, esse de præcipuis Catholi-

cæ fidei

cæ fidei articulis contentiones. Ab hoc ille scopulo cursum deflectens, dogmata recēset ea, de quibus nulla est theologis inter ipsos decertatio. Tandem verò argumentationibus coronidem impositurus, ita Syllogizat. Sua cuiusq; deuotio pia mēte suscepta, est verus Dei cultus. Atquoniam cum suas quisq; priuatas habeat deuotiones, & eas planè contrarias: necesse est cōtrarios esse sibiq; contradicentes cultus diuinos, & tot sensus passim, quot capita hominū. Quis ineptias has, puerilesq; in homine sene nænias non rideat meritò? Quid obstat, quo minus possint multi eodē deuotionis

modo

modo Deum colere? Quid vetat etiam, cur non liceat diuerso, si tamen omnes æquè eandem obseruent analogiam Catholicæ fidei? Alijs Basilio, alijs Augustino, alijs Hieronymo, alijs Bernhardo placuit vitæ institutis deuotionem exercere suam. Quid? An ista illa diuersitas, contradictiones implicat in articulis fidei? Ego verò modũ deuotionis meæ, ex aliquà parte, hoc studio metior, vt queam antilogias vestras colligere, fraudes vestras retegere, & quas hæreses siue nouas condidistis, siue refodistis veteres, pro virili mea impugnare, obterere, ac si possim, extirpare etiam.

etiam. Num hæc in singulis diuersa ratio, eadem tamen colendi Dei religio, quicquam potest vnitati fidei nostræ præiudicare? Nihil profectò. Alia autem est ratio in hæreticis. Nam, sicut Aristoteles docet, qualis quisq; est, talia & dicit & operatur. Cum porrò, vos Lutheranos tales oporteat esse, qualis doctrina est vestra: cumq; hæc è contrarijs pestiferisq; sit conflata hæresibus: quid mirum, si de contrarijs semper certetis opinionibus, in nulla cõcordes: si omnia agatis hostiliter, nihil pacatè: si nec sacrum vobis quicquam sit, nec amicũ, sed cuncta in mutuam directa perni-

ciem : Qualis Illyricus sit homo, doctrina, mentis character ostendit: quid patret, quid machinetur, cuncta deplorat Germania, dolet vniuersus orbis Christianorum. Illyricus tandem, vbi effingendis Catholicorum dissidijs omnes colores consumpsit, penicillos fregit, inanemq; studium animaduertit suum: ibi, quemadmodum magni solent artifices, vt aliquando manum de tabula, epilogum adornat atq; fatetur esse quidem in Papatu maiorem, quàm apud suos, concordiam, sed ficticiam illam esse, non veram, cuiusmodi inter Dæmonas sit: horum enim nullus alteri

teri infestus, cum idem malum moliantur vniuersi. Eiusq; simulatæ concordiæ adducit tantus orator causas quinq;. Quarum prima est, quòd etiamsi in Papatu quodlibet regnum, & quælibet ciuitas habeat peculiarem idololatriam, Sathanas tamen non concitet in his filiam aduersus matrem, sicut in vera Ecclesia (Lutheranam intelligit) sit necesse fieri. Quasi Christus eam velit veræ Ecclesiæ notam esse, si filia de fide litiget aduersus matrem, filius aduersus Patrem: & non potius, vbi omnes idē sentiant & loquantur in Domino; vbi duo aut tres congregati

consentiant de omni re, de omnibus Catholicæ fidei articulis idem doceant, idem profiteantur. Atq; talis consensus vbi est, ibi idololatriam ait esse Illyricus, perinde ac soleat Catholicæ fidei consensio Idolorum cultum parere. Verè hoc quidē ille, quòd sit de doctrina Catholicæ fidei concordia in Papatu: sed falsò addit, esse fictitiam. Etenim esse inter Catholicos veram stabilemq; de ipsis Christianæ doctrinæ articulis consensionem, testatur vniuersi Christiani orbis vnanime iudiciū de approbata quatuor Ecclesiæ doctorum, Ambrosij, Augustini, Hieronymi, Gregorij doctrina:

ctrina : & huius compendio Petri Lõgobardi. Quæ doctrina (paucis tamen, quas Catholicus cõsensus reiecit, sententijs exceptis) adeò recepta est & approbata vnanimi Catholici orbis iudicio, vt libri illi, quibus summam eius complexus est Sanctus Thomas Aquinas, in Græcam conuersi linguam, & orientis consensionem meruerint. De Cæremonijs quod doctrinæ genus postules magis consentiens, quàm est ius Canonicum? Lutherus id combusit quidem, ratus idem facturos reliquos: sed totius Catholicæ Ecclesiæ authoritate, & receptũ est, & viguit hactenus: eiusdemq;

defenſione ſtabit incolume, etiã inuitis cũctis Sectariorum gregibus. Secundam affert cauſam Illyricus, cur concordia de doctrina ſit in Papatu, quoniam epiſcopi non curent doceri populũ, ſolis contenti cæremonijs. Friuolũ id eſt, ſi vniuerſos ſpectes, verum ſanè, ſi quoſdã: alij enim, quod dolẽdum quidẽ, minus ea in parte ſunt, quàm debebãt, diligentes epiſcopi. Sed quid iſtud ad cauſam? Negligunt doctrinã nonnulli: ſunt igitur omnes in doctrina ſictè concordes. Ita loqui didicerũt, quibus κακόχολοι ὑπνῶδες, δύσοσμοι. Tertia cauſa eſt, inquit, quod omnes id credunt eſſe verum, quod

Rom.

Rom. Pontifex verũ esse definiuit: planeq; sicut de Carbonario dici consueuit, qui à Sathana rogatus, quidnam crederet, respõdit, Quod credit Ecclesia. Ac iterãti Sathanæ, Quid credit Ecclesia, tum Carbonarius, Idem quod ego. Sic, inquit Illyricus, cum homines in Papatu fidem testentur suam, non possunt oriri dissidia. Eam tuendæ in Catholica Ecclesia consensionis simplicitatem vituperat homo Illyricus, quam nos Germani hactenus tanquàm certissimam constantis fidei regulã celebrauimus, moreq; Maiorum imitati sumus. Quartã causam ait esse, quòd Pont. Rom. eos,

qui quoquo modo velint deſciſcere, præmijs retinere in officio ſtudeat, ne ſpargant ſemina diſcordiarum. Studeat ne hoc Pont. aut non, mihi non conſtat: ſed ſi facit, laudandum arbitror, vituperandum nullo modo. Quid enim magis Chriſtiani hominis eſt (Romani Pont. taceo) quàm illis, qui malefacere poſsint, cum deficiant, benefacere, vt maneant conſtantes? Quod autem me ſycophanta nefarius trahit in exemplum, nihil reſpõdebo homini impuro, & ad contumeliam humani generis à Dæmonibus procreato, niſi quòd fruor bona lætaq; cõſcientia, quòd nitor veritate Catholicæ

tholicæ fidei, quòd doctrinam sequor ab Apostolis traditam, à Maioribus propagatam, quòd hanc ardenti pectore amplector, quòd vestras detestor hæreses, quòd te Illyrice eum esse iudico, de quo illud Idyllium rectè cani possit,

οἷα βλέπεις, ὁποῖα λαλεῖς, ὡς ἄγχικα παίσ-
δεις· (δεις·
ὡς ξυφορὸν λαλεῖς, ὡς κοτίλα ῥήματα φθέγσ-

Sed te Vvittenbergensis schola ita depinxit, opus vt nullo sit, qui hac in re operam nauet suam, Apelle aut Zeusside. Archiepiscopum verò Salisburgensem (quo quintam causam concludit Illyricus) principem imperij haud postremũ, quòd tyrannidis publicè incusat homo

priuatus, infimæq; fecis Ardelio, nõ verbo, sed ferro, nec votis, sed rotis vindicandum erat. Princeps hic est, & Præsul doctrina non minus, quàm pietate, vitæq; sanctimonia præstantissimus: qui nõ solùm singulari prudentia, verùmetiam illustri omnis generis virtutum exemplo feliciter Ecclesiæ suæ præest. Castè ille temperanterq; viuit: diuino cultui ita deditus est, ita vacat semper, ita precum suarum pensum absoluit, vt, cum dies non sat ocij suppeditet propter alia negotia, noctem adijciat. Pios omnes amore paterno prosequitur: iuuentutem magnis sumptibus curat rectè in-

stitui,

stitui, multos in diuersis academijs alit, plurimos ornat dignitate, Ecclesijsq; passim præficit: fideles liberaliter remuneratur, lapsos monet paternè, peruicaces punit quidem, sed ita, vt lenitatis exempla multa videas, tyrannidis nulla. Hunc tu Illyrice, Archiepiscopum fædæ immanitatis insimulas, hunc tu accersis iniustæ cædis, hũc tu crudelium supplicíorum audes autorem palam traducere? Quis te harmosten misit in Germaniam? Vnde adeptus eam facultatẽ es, tibi vt liceat de principum gubernatione agere censorẽ? leges imperio alieno præscribere, Sclauus ex gurgustio

seruorum

seruorum nuper profugus in Saxoniam? Si hoc non est seditiones moliri, dico equidem, quid sit esse seditiosum, me ignorare. Innocentes, inquit, interficiuntur, perpetuis inclusi carceribus, misero fœtore pereunt. Puniuntur, verum est, sed quinam? facinorosi, rebelles, seditiosi, sectarij pertinaces, Anabaptistæ, Ariani, Eutychiani, & vestrum similes. Puniuntur, inquam, sed adhibito prius omni studio, in viam an possint reduci: atque si hoc infructuosum est, nihil supra, multum autem infra seueritatem scriptæ legis, pœnas moderari semper iubet, ne etiam in iustitia, sua clementia

deesse

deesse videatur. Quis autem nostrum vestris magistratibus legem præfigit, qua huius debeant alterius sue sectæ flagitia vlcisci? An comitiorum recessus te voluerunt visitatorem esse aut Melanthonem in Bauaria, me in Thuringia? Te quis misit? Nemo: ipse autem currebas sponte tua: me, quia nemo misit, nemo facultatem potuit dare, abstinui, nec Ecclesiasticis negotijs me vnquàm admiscui, Synagogas autem vestras execratus sum, regere illas nec volui, nec volam, quoad vixero. Quid igitur te compulit huc, vt id summorum Magistratuum tibi munus sumeres, quod de-

dit

dit nemo? vt te efferres supra Archiepiscopi dignitatem, qui lupum te, non ouem agnoscit, multo minus pastorem suum? Quis enim tu es? quis es, inquam? Christianus? obedi Præpositis tuis, vt te iubet D. Paulus. Ethnicus? Ad Turcas te, & Tartaros recipe: nihil Germanis est tecum cõmune. Propheta? Dic à Turcis ne potius debeat vestrum euangelium defendi, an iustius hæreses supprimi à Cæsare? Si à Cæsare? quæro abs te Illyrice, recte ne habeat proscriptio ea, qua Cæsarem VVittenbergenses cœlitus bannitum declarauerunt, sicut tu refers? sin à Turca? piè ne & euangeli-

gelicè solicitatus est Solemanus pro defensione euangelij vestri, contra veterem Christiani orbis consensum? Num in postremo isto tumultu, quo Cæsar Oeniponte oppugnabatur, Turca euangelicè euocatus est, vt, dum hi Cæsarem in Germania, Budensis Bassa Ferdinandum in Pannonijs inuaderet? Nolim à me testes historiarum deposcas: Sleidanus notauit: literæ illius machinationis repertæ sunt: fraus negari non potest. Pudeat te Illyrice tam impudentis arrogantiæ, pœniteat tot tantorumq; facinorũ. Si Andreæ Aurifabro, quem cynosophum caninumq; medicum appel-

appellas, non vis Ecclesiam cõmitti, cur tibi grammatices professori, idem ius vsurpas? Qua in re superas tu illum? Est doctrina superior te, artificio par, dignitate officij nequaquam inferior, nec desunt ei artes cæteræ eam ad rem necessariæ. Vrgeo te, volocq; audire, quid respondeas. Si ille tibi non est ecclesiastes, quo iure fueris tu ei theologus? Hipocratem ille professus est. Tu verò quid? Grammaticã Munsteri. Ecquod non robustum argumenti vinculum, cur Illyrico liceat sibi vniuersæ Ecclesiæ censuram sumere, And. Aurifabro non liceat? Sed frustra ego hæc: ad Maioris

Menj̃q;

Menÿq; aculeos auritum illud & Illyricum iumẽtum remittamus: ego rugitum eius pecoris non exigo ad ſpolium leonis. Plutarchus refert, legibus cautũ eſſe, Illyricum hominem non ſcribi ciuem in republica Græcorum. Idem ius adhuc paſsim obſeruatur in Saxonia de Sclauis: credo, non quia vllam putarint nationem non ſua dignam laude, cum Croatas viderim homines generoſos atq; honeſtos: ſed quia indignũ arbitrabantur, planeq; nõ ex Repfore, homines & moribus, & ritibus diuerſos, recipi facilè oportere. Turcicam ſuperſtitionem ab Ariana hæreſe natã fatentur omnes viri

sapientes. Iam autem cum Mathias Flacius Illyricus Arianam hæresin, teste Vvittenbergensi schola, in Germania disseminet: cum item istius theologi cognatio & gens Turcis vicina sit: & Illyricus ipse iam cœperit cũ Turcis & dicere & facere: quæso per Deum Immortalẽ, quid eo in homine abscõditum latere existimamus? An insidias eius nõ pertimescimus? cur non propius excutimus tremulũ illud & suspiriosum pectus Illyrici, hominis aduenæ? Socij illum sui, confessionistæ, palã accusant furti, proditiõis accersunt, multarum hæresium authorẽ proclamant, & prope cõuincunt etiam.

Huic

Huic ne peruerso nebuloni vniuer-
sus Christianus orbis potestatē per-
mittet, vt Catholicā de Orthodo-
xæ fidei articulis consensionem, esse
ethnicam idololatriam, esse Tarta-
ricam conspirationē, esse Turcicam
Tyrannidem appellet atq; renun-
tiet? Fuimus, fuimus quondam vi-
ri, nos Germani, fuimus Catholi-
cæ fidei assertores, hæresiū extirpato
res, fuimus vnitatis præ multis alijs
gentibus, concordiæq; cultores tam
studiosi, vt aliqui putarint hinc no-
bis, cū Theutones simus, vt Germa
ni vocaremur, nomē obtigisse. Cre-
ditote mihi, nullæ sunt in doctrina
Catholicæ fidei nostræ dissensiones,

nullæ articulorum fidei luxationes, nullæ neq; hæreſes occultæ, neq; ſchiſmata aperta. Fingit hæc Illyricus in fraudem humanæ ſalutis, in ſuũ ipſius exitium, in præſens cunctæ Germaniæ diſcrimen. Si virum ſe honeſtum putari volet is homo, perhiberi non dico, colligat antilogias noſtras, ſiue ex doctrina fidei, ſiue ex iure Canonico: exigatq; ſi quas reperierit in doctrina fidei, ad ius diuinum, & ad articulos fidei Catholicæ: ſi quas in Cæremonijs, alijsq; rerum perſonarumq; circumſtantijs, ad canones poſitiui iuris: atq; ita demum, cum hîc ſchiſmata deprehenderit, illic hæreſes, quæ vel

non

non sint iam legitimè damnatæ, vel certè non primo quoq; Concilio damnandæ, tum esse in Papatu hæreticas dissensiones vociferetur: sin autem se id dubitat perficere posse, taceat Illyrica mulier in Ecclesia, Rombum sibi vsurpet, Biblia relinquat alijs, redeatq; vnde prorepsit, in latebras illas, & ad pastoritiam gentis suæ sodalitatem, hæresiumq; suarũ diribitores: principibus prouincias permittat gubernare, Cæsari Germaniam, Ecclesiam episcopis. Atqui ne in eo muneris vestri officio, O principes, homo Illyricus, aduena ignotus, in aliena Rep. clamosus, in sua mutus, vos impe-

diat, vos perturbet, populum seditiosè cõmoueat, maturè prouidete: ne, cũ is patriæ suæ desertor, nostræ inuasor, magnaq; moliri existimetur, citius excitet incendium, quàm vos tempestiuè restinguere possitis.

BREVIS RESPONSIO AD IACOBI ANDREAE Smidelini cauillationes.

ADuersus Mathiam Flaciũ Illyricum hac subitaria quidem lucubratione respõdendum putaui, sed, vt spero satis euidenter, vt, quæ hominẽ phrenesis verset, queat intelligi, & quo spiritu agitetur. Restat barbarorum Philosophorũ penultimus,

nultimus, Iacobus Smidelinus, præco Gœppingẽsis, Thraso insignis. Quanquàm verò si vnũ ex isto grege noris, omnes noueris: tamen dubium profectò est, ex his duobus vter alteri præferendus, cum vterq; & mentiendi vanitate nobilis sit, & turbandi studio celeber: homines nimirũ malitia pares, ingenio dissimiles. Illyricus fatetur quidem esse in Lutheranismo de ipso doctrinæ fundamento hæretica schismata, & talia prorsus, quæ absq; exitiali Christianæ religionis detrimẽto tolerari nõ possint. Atque hoc tamen ita fatetur, vt & Catholicos eidem crimini obnoxios velit esse,

& minus grande ſuorum diſsidiorũ ſcelus nobis appareat. Smidelinus contra, negat eſſe vllum de fundamento doctrinæ diſsidium inter Euangelicos, ac ne minimũ quidem: & quas ego ipſorum pugnantes ſectas protulerim, cõmenta eſſe mea, non documenta Lutheranorũ. Vter quæſo iſtorum improbior eſt? Smidelinus ne, qui, cum inter Catholicos non reperiat hæreticas diſſenſiones, negat etiam inter Lutheranos reperiri? An vero Illyricus, qui, cum inter Lutheranos hæreſes eſſe, nõ poſsit inficiari, aſſerit quoq; eſſe inter Catholicos? Quàm vanus vterq; ſit, res oſtendit: quàm neuter

dicat

dicat verum, declarat retecti mendacij turpitudo: quanto impudentior aũt Smidelinus, nemo non videt. Quapropter malo equidẽ homines, cur Staphylus non respondeat Smidelino, quàm cur respondérit, quærere: ne videar negotium suscepisse cũ eo homine, cui vix vlla gutta mẽtis est, linguæ Stygia palus integra: & cum tali persona cõcertasse, à qua vinci honestius est, quàm vincere. Eã sanè ob causam, si ita meæ debuissem, quàm aliorum volũtati satisfacere, Lutheranorum respondissem nemini, maximeq; Smidelino. At, quia secus visum fuit amicis, indulserim hoc sanè, ne

cauſam, quam illi dicendo, nos ta-
cendo fecimus deteriorē, planè de-
ſeruiſſe exiſtimemur. Itaq; obiter
duntaxat de libro Smidelini lecto-
rem admoniturus, aio, hunc theo-
logum duo ieciſſe ſuæ aduerſus me
ſcriptionis fundamenta: quorum
neutrum verum eſt, ſed vtrumq; eui-
dens mendacium: nam, ſicuti hoc
falſum eſt, me non bona fide colle-
giſſe ſectas Lutheranorum & an-
tilogias: ita & illud non verū, quòd
ait, nulla eſſe dè doctrinæ fundamē-
to apud ſuos diſsidia. Quid autem
impudētius dici poteſt, quàm id in-
ficiari proteruè, quod cuncti oculis
ſuis coràm cernunt? An nullæ ſunt
diſſen-

dissensiones in Lutheranismo? quid si cruenta certamina etiam? Quod obsecro, membrum est, quis articulus in tota Confessione Augustana, qui non variè sit acerbeq; in mutua lite positus? Si eos articulos, de quorum corruptelis Vinariēse scriptum, nouem Euangelicas sectas cõdemnat, sustuleris ex Augustana Cõfessione, quot erunt residui? Ne vnus quidē. Quid Illyricus in suo libro contra Melanthonem? Profecto tot ille profert ex Philippi aliorũq; Adiaphoristarum libris errores atq; hæreses, vt articuli Confessionis Augustanæ non tam ab ipso authore oppugnati, quã omnes

nes penè deleti videantur. Si nullæ sunt de fundamento discordiæ, quid scribit Gallus contra Maiorem? Quid Amsdorffius contrà Melanthonem? Quid vicissim Menius, Maior, Pfeffinger, Eberus, cũctaq; Vvittenbergensis schola cõtra eosdem? Qua de re Caluiniani dimicant cũ Saxonicis Ecclesijs? Suenfeldiani quid? nũ lineas illi in Augustana Confessione commouent, an integras paginas? Articulus de iustificatione, est haud dubiè nõ minima pars Augustanæ Confessionis; an non de eodẽ hoc inter Cõfessionistas varia discordiarum colluctatione decertatur? De hoc, Osiandrini

ſiandrini contra vniuerſos, & hi vi
ciſsim, & contra illos, & contra ip-
ſoſmet ſeſe. A quatuordecim Lu-
theranicis Eccleſijs petiuerat Dux
Pruſsiæ iudicium de Oſiandrina hu
ius articuli doctrina. Singulæ Ec-
cleſiæ reſcripſerunt principio priua-
tim, poſtea publicè editis libris: ſed
ita reſponderunt, vt plus ipſis inter
ſe eſſet, quàm cum Oſiandro mu-
tuæ diſſenſionis, dum quælibet Ec-
cleſia ſuam obtruderet priuatam Iu-
ſtitiæ definitionem, nulla Catholi-
cam, omnes contrariam. Verè ne
hoc an falſò aſſeram, è libris hac de
re euulgatis velim cognoſci. De eo-
dem hoc articulo quot errorum ta-

xat

xat Illyricus Melanthonem in libro illo suo, quem Bericht inscriptum, nuper emisit: De pœnitētia, septem recenset grauissima errata, & hæc quidem singulorum authorum singula. Adeo manifestè ista colluctātur hæresium inter ipsas certamina, non solum, vt passim in vniuerso orbe horribiles digladiantium voces audiantur, verumetiam, vt iam exteræ nationes inclament, nutare Germaniam, ruere imperiū, insania nostra Christianū orbem in summū discrimen adduci. Sed de hisce, eiusdemq; generis alijs Augustanæ Cōfessionis emblematibus insigniores flosculos in cōpendium colligi curabimus,

rabimus, ne populus, si forte istos animæ hortulos colluſtrare velit, deſit compendiaria ſemita. Illud aũt, quod ait Smidelinus, ego nego, perperàm à me cumulatas eſſe antilogias Lutheranorum, nec ipſorum eſſe, quas citem, hæreſes, nulla aliâ poteſt ratione nec melius cognoſci, nec euidentius, quàm ſi lector loca librorum, quæ ego allegaui, inquirat: atq; ſi nõ perinde, vt quodq; allegatũ eſt, reperiat, me deniq; falſæ allegatiõis meritò incuſauerit. Abſurdus autem, vanusq; eſt Smidelinus: in ſua etenim refutatione nihil penè dicit, niſi, quas cõgeſſerim, antilogias, eſſe mendacia mea, neq;

Lu-

Lutherum, neq; Philippum, neque alios ita sensisse, ita docuisse, ita scripsisse vnquam: vt videlicet istorum errorum, quorũ nunc ipsos pudet, fiat obliuio: & aliorum, qui nuper cœperunt placere, sit noua occasio. Nonne decuisset Smidelinum loca eorum librorum, quæ nominatim à me expressa sunt, accuratè inspicere, ac si quid protulissem siue deprauatum sensu, siue dictione mutilatum, siue prorsus (quia nusquàm ita scripserint) falsò allegatum, id in lucem proferre, et vbi vitium latitet, ostendere palam? Decuisset, credo. si apertè voluisset, non in tenebris micare digitis: si ciuilis potius, quã

fabrilis

fabrilis videri ſtuduiſſet, homo ſcurrilis, non quia ipſe ciderit, verũ ſit, ſed quia exempla falſæ allegationis produxerit, ſed quia rectè dicta, praue detorta edocuerit, ideo ſibi credi debere, mihi diffidi. Quid autem & quo modo Smidelinus? commenta Staphyli ſunt: calumniæ Staphyli ſunt: fraudes Staphyli ſunt. Hoc principium Smidelinæ probationis eſt, hoc medium concludendi diagramma, hic finis omnis argumenti. Næ ego hunc theologũ in ſpecu Platonis alligandũ cenſeam, vt pro ipſis rebus, rerũ vmbras admiretur. Si nugæ meæ ſunt, vt dicis Smidelline & cõmenta, quid eſt igitur, de quo Lutherani recentes Euangelici

tantopere digladiantur? Num ego tragœdias istas vestras, quibus orbem concutitis, cõmentus sum? Vestra ego placita recitaui, vestras hæreses, quas disseminastis, redegi in cõpendium, discordias ego vestras patefeci, & turbas ostendi populo. Iam vestrum est Smideline, palàm euincere, vbi falsò citauerim scripta vestra, vbi mutilauerim integrè dicta, vbi distraxerim coniuncta, cõfuderim diuisa, vbi denique crimẽ falsarij cõmiserim. Tuum erit vel inprimis probare, quod asseruisti, vt, si me tanti sceleris legitimè conuiceris, luã pœnas: sin non, vt lege Talionis, illud, quod ego, si essem cõuictus subire debebam, subeas supplicium.

plicium. Vlterius tecum non progrediar: hîc claram audiam vocem tuam Smideline: tu, quia me falsarij criminis publicè reum cæpisti agere, noli tergiuersari: arx controuersiæ eius, quæ tibi mecum est, in hoc posita consistit, fugam aliò non arripias: scilicet me falsæ allegationis vt conuincas: ac nisi tu id feceris, non dubitare debes, quid me decuerit facere. Omnipotens Deus, Pater misericordiarum, misereatur Ecclesiæ suæ, faciatq; nos tandem idem sentire & loqui in Domino. Amen.

Augustæ Idus Maij,
Anno 1559.

MODESTA RESPONSIO AD FERALE CARMEN LEVCOREI BVBONIS

iam ſæpius decantatum atq; nuper recuſum.

Νυκτοκόραξ ἄδει θανατηφόρον, ἀλλ' ὅταν ᾄσῃ
δημόφιλος, θνήσκει καὐτὸς ὁ νυκτοκόραξ.

Plebs moritur, cantat feralia carmina Bubo,
Sed moritur Bubo, plebs ubi læta canit.
Vos canitis læti, dum uestra uenena bibit plebs,
Dumq; perit uestris credula turba dolis.
At populus Chriſti tandem rediuiuus ouabit,
Vos ubi iuſta premet pœna ſecuta reos.
Quin Staphylis Staphis eſt, Siculū ſi carpere florem,
Trinacrij uatis praua libido oueat.
Hæreſis at nunquam fuerit doctrina ſalubris,
Sic nec erit Staphyle dulcis, amara Staphis.
Pergis, cum nequeas ſuperos, Acharonta mouere,
Et magico uerſu corda ferire pia.
Proditor eſt Chriſti, ſanctum qui prodit ouile,
Quiq; rapax ſtatuit caſtra lupina ſequi.
Num prodit, qui recta ſerit, diſtorta reuellit?
Iulius an Iudas iſte ſit, ipſe uide.
Ecce mihi Deus eſt teſtis, mens conſcia teſtis,
Quæ loquor, hæc credo, uera quoq; eſſe reor.

Scilicet

Scilicet esse reor uestri noua dogmata uatis
Falsa, sed antiquam laudo proboq; fidem.
Quæris ut à uero falsum discernere uatem
Possim? Sic breuiter nostra Thalia monet:
Si, quod ueridico prædixerat ore prophetes,
Euênit, uerax uatis habendus erit.
Sic Moses. Memini (fermè tria lustra feruntur)
Cum nobis quidam tale nomisma daret.
Nam geminas à fronte bases hic nummus habebat,
Hæc tiaram Regis, Cæsaris illa tulit.
Has inter (mirum) duo ferrea uincla fuerunt,
Et carcer, gemino pœna parata duci.
Inde biceps uolucris gladijs armata duobus
Stabat, & ulta tuum est perfida Virgo nefas.
Tu quia perfidiæ nomen crimenq; gerebas,
Perfidiæq; feras uulnera facta tuæ.
Hæc adeo penitus cura uidisse sagaci,
Ex Dauide iuuat, sic ubi uatis ait.
Alliget ut reges fatali compede uinctos,
Vindicet & gentes ultio iusta malas.
Ista quidem ueri, sed falsi hæc signa prophetæ,
Si res prædictum nulla secuta probet.
Omnia salua, Lutherus ait, clademq; futuram
Extenuat uerbis, præcipitatq; duces.
Verius at noster. Vos ferrea uincla tenebunt,
Dixit: quin tenuit carcer utrumq; ducem.
Hæc an uera loquar, seu falsa, redargue: præstò
Iudicium fuerit, uera licere loqui.

Aut hæc esse nega male sani scripta Lutheri,
Aut, hæc cum doceat, recta docere proba.
Hoc si forte uoles, te mox euenta refellent,
Sin illud, uestris edita scripta typis.
Discite germani, Vatem cognoscite uestrum,
Vnius exemplo cætera cuncta patent.
Non mox sunt ueri, quos creditis esse prophetas,
Sæpe trucem texit pellis ouina lupum.
Interea mores non laudo malos, nec abusus,
Tempora quos specie relligionis alunt.
Sed nos zizanium Deus hoc tolerare uolebat,
Non bona cum lolijs perdere grana malis.
Hæresin ille iubet nos deuitare, uel instar
Pestis, quæ totum perdit ouile simul.
Restat utrum malis lolia, an contagia pestis,
Cum Deus ista uetet, ferre sed illa uelit.

FINIS.

Bibl. Jag.

Errata sic emendabis.

F 1. pag. facie prima, linea 5. pro conuenirent, lege conuenerint. F 6 pag. facie 1. linea 8. pro infanent, lege infantem F 7. pag. facie 2. lin. 10. pro qui, lege quia.

I 4. pag. facie 1. linea 12. pro putatam, lege putatur.

M 7. pag. facie prima, linea 6. pro rationabar, lege ratiocinabar.

S 6. pag. facie prima, linea 4. pro Catholicos, lege Catholicis, Eadem pagina, facie 2. linea 16. pro Germanus, lege Germanos.

